# MARTINI CRVSII, GRAECOLATINI ET ORATORII IN Acad. Tybingenſi Profeſſoris, Oratio de Regina Rom. Auguſta IRENA, vel MARIA GRÆCA: Philippi Sueui, quondam Romani Cæſaris, chariſsima vxore.

HORAT. A. P.

*Hæc placuit ſemel: hæc decies repetita placebit.*




TVBINGÆ,
Apud Georgium Gruppenbachium,
ANNO M. D. XCVII.

# GENEROSIS
## ET NOBILISSIMIS ADOLESCENTIBVS: VVOLFGANGO, ET LVDOVICO, ET MARCO, ab Hohenfeld, fratribus, in Aiſtersheim & Almeck: itemq; GEORGIO ACACIO Enenckel ab Albrechtsberg, in Hoheneck, Goldeck, & Seiſeneck: Dominis ſuis honorandis,

*MARTINVS CRVSIVS ſalutem per Chriſtum.*

*MAGNVM EST, ALIQVEM antiqua nobiliq́; ſtirpe natum eſſe: ſed maius eſt, eam nobilitatem illuſtrare literis, virtute, pietate. Illi enim ferè tantùm ſibi prodeſſe, hi verò Deo & hominibus inſeruire, poſſunt. Hoc etiam vos, præclari adoleſcentes, probè conſiderantes, decus antiquæ nobilitatis veſtræ, rectis ſtudijs multò illuſtrius facitis. Nam conciones ſacras aſsiduè auditis: exemplo probitatis prælucetis: diligentia mirabili ad ſtudia linguarum & diſciplinarum, vt antea Argentinæ, ita nunc hîc Tybingæ, diu incumbitis. Hinc lectiones multas, quotidie audiuiſtis & auditis: hinc Diſputationibus de moribus, de natura rerum, de rebus mathematicis, intereſtis: more aliorum Studioſorum, argumenta contrà obijcitis: hinc ipſi etiam munus reſpondendi de talibus materijs, laudabiliter ſuſtinetis. Quibus in rebus, magnam vtriq; gratiã merentur: tum M. Michaël Zieglerus: quem VVirtenbergiæ noſtræ oppidum Gryninga, feliciter vobis Præceptorem genuit: multos iam annos ſtudia veſtra fideliſsimè & laborioſiſsimè regentem: tum vos, qui ei libentiſsimè ad optima quæq; obtemperatis. Felicem iuuentutem, quæ fido & induſtrio præ-*

Medic. Doct. cum alijs creatus 27. April. 1597.

ceptore prædita eſt: felicem Præceptorem, cui obedientes & ſequaces Diſcipuli contigêre. Hoc ipſo modo inter eos, licèt genere & fortuna differentes, tamen illa inæqualis amicitia, quã Ariſtoteles τὴν καθ' ὑπεροχὴν vocat, ἀναλόγως locũ habet. At eloquentiæ quoq; , & Poëſeos (Græcæ iuxtà, ac Latinæ) ſtudia, lectionibus noſtris aſſidendo, egregiè coluiſtis: ac non ita pridem Orationes in vtraq; lingua, non ſine admiratione Auditorij noſtri, habuiſtis. Quæ Orationes cùm procul dubio, ſi ante CCC LXXX. annos, ab excellentiſſima Domina Græca, Auguſta Irena (quando in Alemannia vixit) auditæ fuiſſent, ei magnam admirationem attuliſſent (vt res in barbaris tunc ab elegantiore eruditione locis, nigro ſimilima cycno) ego etiam meam hanc Orationem, quam nuper de laudibus illius ipſius Dominæ, qualemcunq; habui (cui cum vniuerſæ Academiæ membris, vos quoque interfuiſtis) vobis, ob aliquam ſaltem grati animi mei memoriam, inſcribendam & dedicandam duxi. Multa.n. ſigna humanitatis veſtræ, in me extitêre: ac ſæpenumero etiam ſuauiſſimo concentu muſico, voce & inſtrumentis (quòd & hoc dulci culturæ animi genere præſtatis) apud vos (domi ornatiſſimi pietate & doctrina viri, M. Viti Mylleri, Collegæ mei humaniſſimi) oblectatus ſum: præſertim, cùm hanc ipſam quoque Irenam, coniugemq; eius Imp. Philippum, decantaremus. Vos modò, quod exigui muneris offertur, benigno illo vultu, quo me ſemper aſpicitis, accipiatis: & in poſterum etiam erga me, benè animis affecti maneatis. Bene valete: ac pari, qua hactenus, felicitate in ſtudijs, ad Chriſtianæ Reipub. vtilitatem præſidiumq;, pergite. Tybingæ, Calend. Ian. M. D. XCIII. anni: quem Deus toti Reipub. Chriſtianæ, & nobis ſingulis, felicem ac fauſtum, per dilectum filium ſuum Chriſtum, eſſe velit.

MAR-

# MARTINI CRVSII DE AVGVSTA IRENA ORATIO,

*Tybingæ in Aula noua, die S. Catharinæ 1592. habita.*

CONVENTVI HVIC PRÆCLARO, GRAuiſsimo, humaniſsimo, & reuerendo, cauſam dedit hodiernus dies: qui ad honorem S. Catharinæ, diu magnæ habitæ Martyris, longè iam olim ſacer haberi cœptus eſt. Hanc inter quatuordecim ἀλεξικάκους ἁγίους, vel opitulatores, numerarunt: ſapientiæq;, artium, diſciplinarum, præſidem ac patronam, ceu nouam quandam Mineruam, fecerunt, & in ſua vota vocarunt. Sicut Poëta Sulmonenſis de Minerua ait: Si mereor, ſtudijs adſit amica meis.

I. Exordium.

Faſt. 3.

At vt iam non dicam, quàm à pietate alienum ſit, honorem inuocationis, ſoli debitum rerum omnium conditori, qui omnia ſcit, & omnia poteſt, homini tribuere: hoc ſolùm dici ſatis eſt, quod aliàs etiam dudum eſt dictum, talem Catharinam, qualis apud Pontificios creditur, hiſtoricè nuſpiam, quod ſciam, apud Euſebium, alioſúe antiquos & probatos Scriptores, reperiri.

S. Catharina, qualis ſancta.

Potuit autem initiò ab aliquo Chriſtiano Poëta excogitata, & introducta in Tragœdia, eſſe (ſicut nomen Chriſtophori & Georgij, de Chriſto, & homine Chriſtiano) vt ſignificaret τὴν καθαρότητα, puritatem Chriſtiani hominis: cuius cor fide in Chriſtum purificatum eſſet: & qui propter Chriſti profeſsionem, multa à Tyrannis & Hæreticis pati cogeretur. Potuit etiam Catharina, purum Dei verbum ſignificare: quod in Prouerbiorum Solomonis libro, virgo Sophia vel Sapientia eſt: & in Pſalmis, eloquium caſtum vocatur, argentum igne examinatum, ſepties purgatum: quo, quia vim in æternum manentem habet, etiam Satanæ Sophiſticas tentationes Dominus vicit, ac diſsipauit: ſanctiq; homines, idola ſectasq; impias poſterius proſtrauerunt, & conculcarunt. Talem ego exi-

Actor. 15.

Prouerb. 2. & 4. & 5.

Pſalm. 11.

Matth. 4.

 ſtimo

ſtimo fuiſſe Catharinam: allegoricam ſcilicet potiùs, quàm hiſtoricam.

Verùm, ſicut Pontifex Bonifacius IIII. qui circa annum Chriſti ſexcenteſimum octauum ſedit: loco omnium Deorum, quibus templum quondam πάνθεον Romæ ædificatum fuerat, Feſtum omnium Sanctorum introduxit: ita quoque ab aliquo Papa, S. Catharinam, in locum Ethnicæ Mineruæ introductam eſſe, credibile eſt: ſiue allegorica ea fuerit (ſicut mihi videtur) ſiue ſanè vera olim Martyr Chriſti: non tamen cum ijs miraculis, quæ ei affictа ſunt. Introductam autem (vt alios etiam ſanctos) eſſe, veritati conſentaneum eſt, eo conſilio: vt ſic magis ex animis populi euelleretur cultus gentilium Deorum, eis nimiùm infixus (ſicuti nec Poëtæ noſtri ſeculi, nomina ethnicorum Deaſtrorum relinquere poſſunt, quin ſæpe carminibus ſuis inferciant) atq; hoc modo homines, ad Chriſtianam religionem magis traducerentur. At non extirpata ſic eſt idololatria: ſed manſit, tantùm veſtimento ſpecioſo nominis Sanctorum velata: vt ita horum inuocatio, ad imitationem gentilium Deorum excreuerit, atq; inualuerit.

*Cultus Sanctorum in Papatum introductio.*

Itaq;, ſicut cæca gentilitas credidit: Mineruam re vera eſſe Deam, quæ olim homo fuerat: & quidem Deam olei, lanificij, belli, & ſapientiæ: eamq; inuocauit: ita in tenebris & barbarie ſuperiorum multorum ſeculorum: cùm bonæ literæ & diſciplinæ, cognitio linguarum & hiſtoriarum, libri ſacri veteris nouiq; Teſtamenti, iacêrent ignorata & neglecta (ſicut olim ante tempora pij Regis Ioſiæ, liber legis Domini ab inertibus Sacerdotibus fuerat amiſſus) facilè creditum vulgò eſt, illam commentitiam Catharinam, fuiſſe verè talem in rerum natura virginem, cum tot miraculis: quæ in Legenda, id eſt, vita & conuerſatione (βίῳ καὶ πολιτείᾳ) eius, reperiuntur. Itaque, tanquam ab Angelis illò portata, vbi mons Sinæus Moſis eſt, quaſi Dea Minerua eſt facta: & cum alijs ſanctis inuocata: ideoque longiſsimæ quoque, & periculoſiſsimæ peregrinationes, ad ſepulcrum, in quo credebantur oſſa eius reſeruari, factæ. Sic ipſa etiam in Academias & Scholas, ad colendum & inuocandum colentibus artes & Philoſophiam, tanquam Philoſopho-

*Ruditas præteritorum temporum.*

*4. Reg. 22.*

*S Catharinæ ἀποθέωσις.*

loſophorum olim diſputando victrix, adſcita eſt. Hoc ſcilicet erat expellere Ethnicorum Deaſtros, & inuocationem eorum abrogare: imò idololatriam erat per vnam Templi portā emittere: vt mox per alterā portam, tantùm mutato habitu, reuerteretur.

At ex verbo Dei, quod ſolum, verum & ſolidum eſt, ac lucerna pedib. noſtris, docendi erant homines, & Chriſtianiſmus eis perſuadendus: non fictis Sanctorum perſonis, aut falſorum miraculorum (quorum magna copia in Papatu, ab ocioſis Monachis excogitata eſt) veſte ornatis, ſicut certè de Catharina factum eſt: cuius montem poſt Hieroſolymam magnis expenſis & periculis aditam, etiam plurimi adierunt: opinione falſa cultus & meritorum perſuaſi. Idololatria quomodo expellenda. Pſalm. 119.

Nos aūt, quòd hodierno die, qui memoriæ D. Catharinæ attributus eſt, huc frequentes conuenimus: non ideo fecimus: quaſi eam pro patrona ſtudiorū colamus, aut implorare ſoleamus (quia ſolum Deum ex S. literis per Chriſtū inuocare, didicimus) ſed ideo, quòd ſingulis annis hoc die orationem de ſtudijs artium, aut Philoſophiæ, aut affini aliqua ſtudijs re, haberi, vetere conſuetudine receptum ſit: quemadmodum à cæterarum quoque facultatum Decanis, ſuo certo die quotannis Orationes haberi ſolent. Conuentus huius diei, in Aula domus Sapientiæ.

Ad S. itaq; Catharinam quod attinet: ſi ea virgo quondam fuit: quæ generoſo animo, in ſapiente Chriſti confeſsione mortem obiret: Deo gratias agimus, qui tantam ei fidem, fortitudinem, conſtantiamq;, dederit: virtutemq; eius, ſi neceſsitas poſtulet, imitandam cenſemus. Sin commentum eſt Poëticum (ſicut potiùs credendum eſt, propter miracula etiam falsò ei tributa) multam ei ſalutem dicimus: & aliquid veri potiùs tractabimus: Deo gratias agendo, qui nos falſis & ſuperſtitioſis cultibus paternè liberauit. Sanctorum quis honor eſſe debeat. Heb. 13.

Nunc igitur nos, quoniam per aliquot annos, hiſtoriā Sueuicam omni diligentia conſcripſimus: ex ea potiùs aliquid veri depromemus: de quo hac hora dicamus. Deduximus autem id opus ab initio generis humani: & per ſingulos annos, vbi fieri potuit, trib. Dodecadibus (maximo labore, diurno & nocturno: plurimis editis libris, & manuſcriptis monimentis, percurſis) II. Propoſitio. Annales Sueuici M. Cruſij.

curſis) Deo dante, vſq; ad hodiernum annum perduximus, atque abſoluimus. In quibus Annalibus, vel Chronicis: de antiquiſsima Sueuicæ gentis origine, progreſſu, rebus proſperis & aduerſis, incrementis, principibus, Regibus, Imperatoribus, innumeris nobilibus, & claris hominibus vtriusq; ſexus, de Religione, de Repub. de priuatis etiam rebus notabilioribus, ceremonijs, ritibus, vrbibus & arcibus, alijsq; plurimis rebus, ſcribimus, quantum habere potuimus. Vt ſanè magnum euaſerit opus: hortus quidam omnis generis plantarum ampliſsimus, & amœniſsimus (abſit arrogantiæ cogitatio dicto: inuidiam quidem abeſſe ſpero operi) non neglectis interim cæterorum Germaniæ populorum, & omnium partium orbis terrarum, quocunq; Sueui homines μακροαποδημότατοι peruenerunt, rebus præcipuis.

Ex ijs flos ad laudandum decerptus.

Ex hoc ergo tanto horto, florem quendam minimè inamœnum, multos ſibi pulchros flores adiunctos habentem, decerpemus. Is autem flos, non maximè vir aliquis erit (quanquam nec hic aberit) ſed tamen non vir ex profeſſo erit: quia de viris claris, qui de Eccleſia, de Republica, de Schola, benè meriti fuêre, ſæpe hactenus ex hoc loco orationes, magna cum eloquentia habitæ, & cum voluptate auditæ, ſunt: atq; poſthac etiam, Deo pacem conſeruante, audientur.

Matrona quædam.

Quem igitur florē ex Sueuicæ hiſtoriæ horto delibabimus? Mulierem: mulierem, inquam: ſed nobilitate generis, ingenij præſtantia, eruditione literarum, virtutibus, rebus etiā geſtis, magis tamen aduerſis caſibus, excellentem mulierem. Quod propoſitum noſtrum, nemini mirum videri debet. Nam D. etiam Catharina, fœmina, non mas, hoc die hîc laudari olim ſolita eſt. Etiam S. literæ, mulieres egregias laudant: Saras, Rebeccas, Rachelas, Abigailas, Heſtheras: & Saluator mundi, Lazari ſororem Mariam. Romæ quoque, illa quondam Dominatrice orbis terrarum, mulieres laudari ſolitum eſt. Nam quia tempore aduerſo, cùm Galli & Sueui vrbem anno ante Chriſti aduentum trecenteſimo octogeſimo ſeptimo cepiſſent: & in publico deeſſet aurum, quod hoſtibus ex pactione dandum erat: ſuum aurum matronæ contuliſſent: eis gratias

Laudatio fœminarum.

1. Decad. 5.

T. Liui-

T. Liuius actas teſtatur: honoremque additum: vt etiam earum, ſicut virorum, laudatio eſſet.

Ex Sueuica igitur hiſtoria ſumam, non Catharinam monaſticis figmentis pictam & fictam: ſed Reginam veram, Reginam excellentem, Reginam natione Græcam, munere Dei Reginam Germaniæ, Imperij Romani Auguſtam: Sueuo Duci, Cæſari poſtea Romano, nuptam. Credo, in hoc honeſtiſſimo cœtu iam eſſe aliquos: qui intelligant, de qua Regia matrona dicturus ſim: quia multos non latet: quanto ſtudio, quàm varijs in locis, de ea diu inquiſiuerim: vt, quicquid de ipſa reperiretur, habere poſſem. Græca enim eſt, & in his terris noſtris vixit. Ego autem quàm Græcos homines, Græcas res & literas, diligam, vel potiùs amem (qui quartum & triceſimum iam annum, in hac celeberrima Academia, Græcorum Poëtarum & Hiſtoricorum Profeſſor, pro mediocritate mea ſum) quàm, inquam, Græca amem: id neminem eorum, quibus notus ſum, fugit. Ideo non poſſum hanc Græcam Dominam ſilentio præterire. Regina hic laudabitur.

Erat ea ſuo tempore magna, & honorata: præterijt, ſicut ſingulorum annorum lilia & roſæ: obliuione erat hodie, ſicut corpus eius in cineres abijt, ita nomen quoque propemodum obrutum: redit nunc poſt trecentos octoginta quatuor annos, velut ex ſepulcro rurſum leuata: & quaſi vmbra nouæ apud Euripidem Alceſtidis, rediuiua. Quod mirum non eſt, cùm ab eodem Euripide dicatur. Græca Irene, vel Maria. In Medea.

Πολλῶν ταμίας ζεὺς ἐν ὀλύμπῳ:
Πολλὰ δ' ἀέλπτως κραίνουσι θεοί.
*In cœlo multa recondit Deus:*
*Multa facit præter quoq; ſpem Deus.*

De Auguſta igitur Græca & Romana, cui nomen IRENE erat, & apud nos MARIA Græca, verba pro tenuitate noſtra faciemus: argumento non à ſtudijs etiam, & eruditione, de quibus alioqui die S. Catharinæ dici legitimum eſt, alieno: quoniam de his etiam non incidet nihil. III. Partitio.

In tria autem capita orationem de Irena diuidemus: quorum primum, de ortu eius erit: alterum, de vitæ curriculo,

variaque fortuna: poſtremum, de obitu eiuſdem. Tuum eſt, Magnifica, generoſa & illuſtris, clariſsima, doctiſsima, & humaniſsima concio: me de rebus varijs, magnis, auditu iucundis dignisque, dicturum, auſcultatione clementi & benigna proſequi: id quod reuerenter oratum volo.

IIII. Cõfirmatio. 1. De ortu Irenæ.

Quod igitur ad ortum Reginæ noſtræ attinet: de eo (vt & alijs rebus) præcipuè nos Hiſtoricus Græcus, qui illis temporibus vixit, docere poteſt, Nicetas Choniata. Nata eſt patre Iſaacio Angelo, ex priore eius vxore, cuius nomen ignoratur. Poſterior coniux, Maria nomine, Vngari Regis Belæ filia, ſterilis manſit. Habuit Iſaacius auum, Conſtantinum Angelum, patria Philadelphienſem Aſianum: cui vxor fuit Theodora, ex Imperatoria Comnenorum familia. Quibus natus eſt Iſaacij pater, Andronicus Angelus: qui ex Euphroſyna, Theodori Caſtamonitæ filia, hunc Iſaacium genuit. Habuit ædes Iſaacius in clariſsima Imperatrice vrbe Magni Conſtantini, prope Monaſterium Peribleptæ: quaſi dicas, D. virginis circumſpectæ, & tutatricis. Genuit hic nobiliſsimus, in magnis rebus verſatus, vir, ex priore coniuge, cuius nomen ignorari diximus, duas filias, & vnum filium. Maiorem natu filiarum, cœnobio ſacrarum virginum commendauit Regiæ vrbis: minorem, noſtram ſcilicet Irenam, ſuo tempore Siculi Regis filio deſponſauit (cœmeterium aliquando in VVirtembergiæ Monaſterio inuenturam) filium, Alexium, in ſucceſsionem Imperij, bonis literis & moribus educabat.

Angelina ſtirps.

Quando nata, Irena. 1172 Nomen eius.

Natam autem eſſe Irenam anno Domini milleſimo, centeſimo, ſeptuageſimo altero, alicunde mihi ſignificatum eſt: etſi aliquantò poſteriùs nata videri queat. Nomen ei Irenæ à parentibus factum fuit: quo nomine plures Imperatrices, & illuſtres fœminæ Græcæ, reperiuntur: volentibus nimirum oſtendere Græcis: cum pudicitia præcipuam eſſe mulierum virtutem, pacificè cum viris ſuis viuere, eosque reuereri. Pax, εἰρήνη, fortè ab εἴρειν εἰς ἕν, à connectendo in vnũ, nomen habuerit: cùm interdum pro nomine Irene, reperiatur cum aſpiratione ſcriptum Hirene: & Heirene, quod mihi certè non improbatur. Magnum bonum, pax in re domeſtica: maius, in Repub.

εἰρήνη. Pacis laudes.

Repub. ſed maximum, in Eccleſia. Εἰρήνη φίλη (inquit Nazianzenus) τὸ γλυκὺ καὶ πρᾶγμα, καὶ ὄνομα: ô dulcis res & nomen pacis. Sicut Cicero in Verr. 7. exclamat: ô nomen dulce libertatis. Sint igitur fœminæ, pacis amantes, & maritorum ſuorum obſeruantes. Magna enim hæc, ipſarum bonitas eſt: quæ viros felices facit, & dies vitæ ipſorum duplicat, Siracide teſte. Qua virtute inter alias præditam, noſtram etiam Irenam fuiſſe, ſuis locis intelligetur. Hæc fuit origo huius Angelæ: ex egregio ſcilicet Angelorum terreſtrium genere: quod ex Aſiatide vrbe Philadelphiâ, in Europam tranſgreſſum, apud Imperatores orientis, dignitates & affinitates magnas virtute ſua conſecutum eſt: exercitus pro Imperatoribus in Barbaros ductauit: fide & diligentia fecit, quantum potuit: quemadmodum multis in locis apud Choniatam cognoſcitur. Ex qua familia, Iſaacius tandem etiam ad Imperium, anno octogeſimo quinto poſt vndecimum ſalutis ſeculum, peruênit: ac ſe Angelum Comnenum ſcripſit, propter affinitatem cum deceſſoribus Imperatoribus Comnenis. De quo Domino, poſteriùs plura.

εἰρην. γ'.

Cap. 26.

Iſaacius Angelus Comnenus, Imp. Orientis.

Sequitur, vt poſt originem Irenæ, nunc eiuſdem vitam, mores, fortunam (aliâs proſperam, aliâs aduerſam: in qua, pergraues calamitates) exponamus: quod de tribus, quæ dicenda conſtituimus, ſecundum eſt.

2 De Irenæ vita.

Principiò, omni ſtudio & diligentia educata eſt: atque erudita bonis literis, & principe puella dignis moribus. Sic enim in Regia & Illuſtri ſobole fieri, moris iam olim erat. Filijs ſuis, Arcadio & Honorio, præceptorem Theodoſius Magnus (qui circa trecenteſimum & nonageſimum Chriſti annum imperauit) præfecit Arſenium, Eccleſiæ miniſtrum, virum doctrina & virtute celebrem: vt eos literis & moribus benè erudiret. Arcadij filia Pulcheria, etſi nondum decimum quintum ætatis annum compleuerat: tamen ingenio & eruditione, ad admirationem vſq; valebat: fratremq; Theodoſium minorem, cultiſsimis moribus aulicis inſtituebat: ad loquendum, ad incedendum, ad ſtandum, ad ſedendum, ad veſtem gerendam, vt Imperatorio adoleſcēte dignum eſſet. In primis verò, pietatem

Educatio eius.

Theodoſij Impp.

Suid. πυλχ.

erga Deum docuit. Anna Comnena, quæ circa milleſimum centeſimum decimum annum ſalutis vixit: eruditè & eloquenter res geſtas patris ſui Imperatoris Alexij deſcripſit. Cuius Græci operis octo libros, qui in Auguſtana Bibliotheca Græca extant, huc ante multos annos, à ſapiente & præclaro illius magnificæ Reipublicæ tunc Septemuiro, Ioanne Baptiſta Hencelio (quem defunctum, honoris cauſâ nomino, vt Græcis M. Scr. libris benè de me meritum) commodatò miſſos, & fideliter eò remiſſos, cum voluptate perlegimus: qui nondum typis euulgati ſunt: cæterosque, qui in illo exemplari deſiderantur, libros extare, optandum eſſet. Fuit ante octo annos hîc multos M. Scr. libros aduehens (de quibus aliquot, illuſtriſsimus noſter princeps emit) Andreas Darmarius: ex Laconica peloponneſi Epidauro, ſiue Monembaſia, ortus. Ibi vidimus libellum Epiſtolarum: quas vir quidam doctus, cui nomen Dociano, partim ipſe ſcripſerat, partim ſcribere docuerat: cùm præceptor eſſet Illuſtriſsimæ decem annorum virgunculæ, Helenæ Palæologinæ, filiæ Conſtantini vltimi: qui paucis annis pòſt, nempe anno Domini milleſimo, quadringenteſimo, quinquageſimo ſecundo, vrbem Conſtantinopolin, cum Imperio orientali, vitaque ſua & ſuorum, Turcis ſumma vi eripientibus, amiſit. Vocatur illa puella, πορφυρόβλαςος αὐθεντόπουλα τῶν ῥωμαίων: id eſt, nata in purpura dominula, vt ita dicam, Romanorum. Nam ποῦλο & ποῦλα, diminuendi terminatio in vulgari lingua eſt: à πῶλος, id eſt, pullus, vt credo. αὐθέντην, Dominum vocant. Purpura autem domus erat: in qua iam inde ab antiquo, liberos ſuos parere ſolebant Auguſtæ, ſiue Imperatrices. Poſtea Imperatores, qui ibi in lucem editi fuerant, πορφυρογεννήτων titulo gaudebant, hoc eſt, in purpura natorum. Et Græci ſe Romæos, vel Romanos, appellabant honoris cauſâ: quòd Conſtantini vrbs, etiam νέα ῥώμη, noua Roma, nuncupetur: ad differentiam Italicæ Romæ: quæ, πρεσβυτέρα ῥώμη nominatur, vetus Roma: illius ſcil. nouæ mater, ſeu metropolis. Scribit autem in quadam Epiſtola Docianus ille, ad hanc ſuam diſcipulam: „Ne inceſſat te hæc cogitatio: Fœmi„na ſum, aut imbecilla, aut habeo magnam potentiam: quò minùs

Annæ Comnenæ opus.

Hodie libri M. Scr. Græci.

Docianus, Reginæ Helenæ Præceptor, 1448. & 1450. Domini, Conſtantin poli.

Purpura, domus Auguſtarum Græcarum.

Romæ duæ.

minùs diſcas. Si enim ignobiles homines eruditio decorat: quantò magis filias magnorum Regum? Quæ ſententia à Dociano his verbis exprimitur: Εἰ γὰρ ἀγύρτας, καὶ τινας ἀγροίκους, τὸ κλῆμα τῶν λόγων κοσμεῖ δαψιλῶς: τῇ βασιλίδι, καὶ μεγάλων θυγατρὶ βασιλέων, πόσον εἰκὸς, τῷ τῆς σοφίας χρήματι φαιδρυνθῆναι, καὶ δοξασθῆναι; Noſtro ſeculo Anglicas quoque puellas nobiles, literis Latinis & Græcis erudiri, notius eſt, quàm vt probatione indigeat. Quot modò linguas, ipſa eius gentis ſereniſsima Regina, Domina Elizabetha, callet? Sed quid hoc de Chriſtianis illuſtribus fœminis mirum ſit: cùm ne apud Barbaros quidem Turcas, liberalior Gynæcei informatio negligatur? Initiantur Mahometanis ſacris, in clauſtris mediæ vrbis Byzantinæ, virgines vndecunque captæ (Paulo Iouio teſte) legere Arabicè docentur: ad Harpen & Citharam pſallere, ſaltare decenter, acu ſcitè pingere, perdiſcunt. Quocirca, noſtram quoque nouæ Romæ αὐθεντόπωλαν Irenam, de Deo, de omni honeſtate, & in ſtudijs literarum, linguæque veteris Atticæ (nam vulgaris lingua Græca, vulgò vſurpabatur: Aula Imperatoria cultiùs loquebatur) in his rebus omnibus, inquam, perbenè inſtitutam & ornatam fuiſſe Irenam, dubium nullo modo eſt. Sed nec Latinæ linguæ, aut certè Italicæ, rudem fuiſſe, vero planè eſt ſimile: cùm has linguas, ab Aula non exiſtimem fuiſſe peregrinatas: præſertim Italicam, cùm frequentes Conſtantinopolin nobiles Itali (vt & Mercatores) venerint: cùm etiam hodie in Græcia, Italicæ linguæ Doctores ſint: vt eorum Diſcipuli poſtea Venetijs, Tripoli Syriæ, Alexandriæ Ægypti, negociari faciliùs poſsint. Dictum ſatis eſt de educatione Angelæ Comnenæ noſtræ. Dicamus nunc de coniugio eius, quod eam ex patria in Siciliam tranſtulit: vbi tunc Italicè loquebantur: Ciceronis autem temporibus, adhuc Græcè. Tempus ἐξίστησι, mutat, res & linguas.

Nobiles eruditione ornantur.

Anglicæ fœminæ.

Et Turcicæ.

Lingua Græca, & Italica.

Lingua Siculorum.

Inuaſerat quondam ex Nortmannia Galliæ, genus quoddam nobilium tenuioris fortunæ, in Italiam, Apuliam, Calabriam: & rem prudenter ac fortiter gerendo, ibi magnam potentiam & principatum nactum fuerat. Hi ſunt Nortmanni

Coniugium Irenæ cum Rege Rogerio Siculo.

Genus Nortmannicum.

appellati: inter quos hæc ferè nomina principum eſſe ſolebant: Roberti, Rogerij, Guilelmi, Boemundi, Tancredi.

Tandem etiam Inſulam Siciliam occupauerant: ac ſæpe bella cum Græcis Auguſtis geſſerant: vt, cum Alexio & Manuele Comnenis. Ex his fuit Siciliæ Rex Guilelmus: quo ſine prole, quæ ſuccederet, mortuo: cùm Regnum venturum eſſet ad Henricum, Friderici Barbaroſſæ F. Regem Germaniæ: propter Reginam Conſtantiam, quam ex illa Nortmannica ſtirpe ortam, Henricus in matrimonio habebat: proceres Siciliæ, odio Alemannorum: & ſtudio gratificandi Papæ (qui à Sueuis, propter Barbaroſſæ facta contra Romanam ſedem, alienus erat: & ipſe Papa ſe dominum Siciliæ facere conabatur) Regem ſibi legerunt Tancredum, naturalem Calabriæ Ducis Rogerij filium. Sic ergo hic Regnum Siciliæ conſecutus eſt: cumque filium haberet adoleſcentem, qui Rogerius nominabatur: ac pacem cum Iſaacio Angelo, Irenæ patre, Imperatore Orientis aliquot annis antè facto, coleret: ad ſequentis affinitatis coniunctionem ventum eſt. Succreuerat enim Angela noſtra, in illa ſua Regia & liberaliſsima educatione, eò vſque: vt eſſet iam matura viro, iam plenis nubilis annis, vt Poëta loquitur: leui quaſi aura, ἄνυραισι κοῦφαις, abſq; curis: quas poſtea multas vita coniugalis affert: quemadmodum ad puellas virgines, apud Sophoclem Deianeira inquit:

*Pontifices, Sueuis infenſi.*

*Aneid. 7.*

*Trachin.*

Τὸ γὰρ νεάζον, ἐν τοιοῖσδε βόσκεται χώροισιν. In talibus iuuenta paſcitur locis: ἀμεριμνίας ſcilicet, id eſt, vacuitatis à curis, vel ſecuritatis.

*Coniugij afflictiones.*

Ἕως τις ἀντὶ παρθένου γυνὴ
Κληθῇ: λάβῃ τ' ἐν νυκτὶ φροντίδων μέρος:
Ἤτοι πρὸς ἀνδρὸς, ἢ τέκνων, φοβουμένη.

Donec aliqua, pro virgine iam mulier vocatur: partemque nocturnæ ſolicitudinis capit: aut viro, aut liberis, metuens.

Sic igitur ſponſalibus inter Nortmannum Rogerium, Regis Tancredi filium, & Irenam, factis: Antiochenus hanc Princeps Danckmairus (Antiocheiam namque Chriſtiani

tunc

tunc adhuc tenebant: etſi Hieroſolymam, olim à Bilioneo Godefrido armis recuperatam, amiſerant) Danckmairus, inquam, inclytam ſponſam, Conſtantinopoli per mare Ægæum (Archipelagus nunc vocatur) in Regiam Siciliæ vrbem occidentalem Panhormum (Palermum appellant) Regia cum magnificentia, ad ſponſum & ſocerum aduexit: quod nonageſimo tertio ſupra milleſimum & centeſimum anno factum arbitror. Fuerunt principia hæc, & aliquouſque progreſſus, ſplendidiſsima & lætiſsima: ſed magnæ ſecutæ ſunt calamitates. Irenæ Panhormum aduentus.

Anno enim ſequente, ſponſus Irenæ Rogerius è vita diſceſsit. Quantus inde luctus acciderit: vt nihil de ipſa Irena, & cæteris, ad quos ea calamitas attinebat, dicam: vel ex patris Tancredi mœrore perſpici poteſt: qui tantus fuit, vt non multis pòſt diebus ipſi quoque viuendi finem attulerit. Reliquit quatuor liberos: videlicet filias tres, Alteriam, Conſtantiam, Madoniamque, & puerum Guilelmum: qui breui in vrbe Panormo, procuratione matris Sibyllæ, vel Sibiliæ, Rex Siciliæ creatus & coronatus eſt. Mors Rogerij. Guilelmus puer, eius in Regno ſucceſſor.

Ac videbatur, vulneribus medicina quædam facta eſſe: ſed Rom. Imperator Henricus VI. reſcidit, lacerauit, rem omnem euertit, ſicut audiemus. Priùs verò, cùm is fuerit Sueuicæ gentis laudatiſsimæ Princeps: de eius, & Philippi fratris, præclariſsima ſtirpe, breuiter aliqua commemorare placet: quæ in Annalibus noſtris ſigillatim explicantur copioſè & exquiſitè.

Vixit anno milleſimo ſexageſimo Chriſti, Baro quidam Henricus Stauffenſis: ex antiquo Francorum occidentis Regum genere, & oppido Vvaiblinga Vvirtembergico, ortum ducens: ad quem arces Hohenſtauffa & Lorcha, vel Laureacum (poſtea in Monaſterium mutatum) pertinebant. Hic ex vxore ſua Agnete, filium genuit Conradum: Conradus verò, ex Himelgarde (aliter dicta Hiltegarde) Comite Hohenlohenſi, multos genuit filios & filias. Inter quos erant, Fridericus, cognomine Antiquus: & Otho, Epiſcopus Argentinenſis. Friderico, ex Agnete, Imp. Henrici IIII. filia (quam Hohenſtauffica familia.

fidelibus miniſterijs, & virtute bellica, contra Imperatoris huius hoſtes, cum Ducatu Franciæ orientalis, ſiue Franconiæ, promeruerat) nati ſunt, Fridericus Vnioculus, & Romanorum Rex Conradus. Sub Conrado hoc, oppidum Guelphonicum Vveinſperga captum eſt: ex quo nobiles matronæ (eximiæ quædam Irenæ, ſeu Friderunæ: id eſt, pacis & concordiæ in coniugio tenaces) pro omni theſauro, & muliebri mundo, viros ſuos humeris extulêre.

Vveinſperga oppidum.

Conradi eiuſdem filius Fridericus, Dux Sueuiæ & Franconiæ, Palatino Comiti Tybingenſi Hugoni, anno ſexageſimo quarto ſupra vndecimum ſeculum Chriſti, in Guelphone iuniore (qui in Bauaria, & circum Almangauiæ oppidum Rauenſpurgum, dominabatur) ex pratis vicinis Tybingæ Neccaricis profligando, auxilium tulit. Fridericus autem Vnioculus, ex Iuditha Guelphonide Fridericum Barbaroſſam, illum omni laudum genere cumulatum Auguſtum, tulit. Cui in Imperio filius ſuus Henricus V I. de quo dicere cœpimus, anno nonageſimo primo poſt milleſimum & centeſimum, ſuccesſit.

Obſidio Tybingæ.

Henrici V I. Sicilienſis expeditio.

Hic Henricus, magno exercitu in Alemannia comparato, trans Alpeis in Italiam profectus: Siciliam, ratione vxoris Conſtantiæ, ſibi vindicaturus erat. Nam fuerat hæc, Rogerij Nortmanni filia: Rogerius autem, Regis Guilelmi auus. Eo Guilelmo iam ſine prole (vt antehac dictum eſt) mortuo: Siciliæ Regnum ad Reginam Conſtantiam, & per hanc ad Cæſarem Henricum, veniebat. Sed Regno iam filiolum ſuum Guilelmum mater Sibylla inaugurauerat. Henricus itaque, tum ſuis copijs, tum claſſe Genuatium, & claſſe Piſanorum, adiutus, Neapolin, & circumiectas Inſulas, per æſtatem terrore ad deditionem coegit. Menſe deinde Septembri, Meſſanam Siciliæ adeptus, Catanam & Syracuſas expugnauit: Reginam Sibyllam, liberos eius omnes, Salernitanum Archiepiſcopum & fratres (qui in arcem quandam benè munitam confugerant) quibuſdam conditionibus in deditionem accepit. Vſus eſt in his rebus gerendis, operâ multorum ſtrenuorum nobilium Alemannorum: inter quos erat etiam Marquardus

Rogerius. Conſtantia. Guil. ἄτεκνος. Tancredus νόθος. Rogerius. Irena.

Finis Regni Nortmannorum in Sicilia.

Anuui-

Anuuilerus, & Henricus Calatinus Pappenhaimius. Inde Panormum tranſgreſſus: ea vrbe potitus facilè eſt. Ibi vxorem ſuam Conſtantiam, quæ ſuperiori tempore improbè capta fuerat, ex occultiſsima cuſtodia eduxit: noſtram Irenam in eiuſdem vrbis Palatio, cum miniſtris eius cepit: Reges Siciliæ, ſe & vxorem, die S. Andreæ iuſsit creari ſplendidiſsimè: eò hominibus ex toto Regno concurrentibus. Ita breui tempore plures experta eſt calamitates Angela noſtra: amiſſo ſponſo ſuo Rogerio, amiſſo ſocero Rege Tancredo, amiſſa ſua & ſuorum propinquorum libertate. Erant hæc, valde dura: ſed non inſcio Deo, nec inutiliter, immiſſa. Ea lege naſcitur homo: vt, quia peccator eſt, quarumuis afflictionum telis ſit expoſitus. Vtilitas calamitatum.

Sic à peccatis magis abſtinet: minus Dei obliuiſcitur: ad inuocandum eum magis excitatur. Τὰ ἁλίπαστα, μένει ἄσηπτα: quæ carnes ſale aſperguntur, non putreſcunt. Qui homines ærumnis exercentur: non ſuperbiâ diffluunt, ſed in timore Dei manent.

Erat Cæſari Henrico frater Philippus (vt ſuprà dictum eſt) ipſo ætate minor, adoleſcens egregia virtute præditus, nec ineruditus: natus anno circiter milleſimo, centeſimo, octogeſimo: ijſdem cum Henrico parentibus, Friderico Barbaroſſa, & Beatrice Burgunda. Idem iam erat Dux Sueuiæ, Franconiæ, Turgææ & Zurichgææ (duorum hodiernæ Heluetiæ pagorum, ſiue Regionum) atque Alſatiæ. Nam ad Ducatum Sueuiæ, illis temporibus omnes hæ regiones pertinebant. Huic fratri ſuo Philippo, Henricus Imp. Irenam, Rogerij defuncti ſponſam, aut viduam, deſponſauit: eique dominium Tuſciæ, & terram, quæ olim illuſtris Dominæ Mathildis fuerat, tradidit. Ducatus Sueuici amplitudo. Irena, Philippo Sueuo deſponſa.

In coniuratos autem Siculos, clàm ſibi poſt deditionem, & pacem conſtitutam, exitium machinantes, acerrimè vindicauit: Guilelmum puerum, Reginæ Sibyllæ filium, luminibus priuatum, in Rhætiam Curienſem ductum, perpetuæ cuſtodiæ in Caſtello Amiſo, vel Alta Emſa, mandauit: ipſam Sibyllam & filias, Monaſterio Alſatico Altitonæ, ſeu montis S. Otiliæ, incluſit. Vnde Henrico agnomen Aſperi acceſsit. Altitona Alſatiæ.

Philippus autem, cùm in Tuſcia conaretur loca occupare: quæ ad Pontificem Romanum Cœleſtinum ſpectare dicebantur: ab eo diris deuotus eſt. Verùm inde cum ſponſa ſua Irene, in Sueuiam deceſsit: eamque cum honeſto gynæceo & famulitio (fortaſſe Græcis etiam hominibus, quos ipſa in Sicilia habuerat ex patria Conſtantinopoli, intermiſtis) in arce

Arx Suain-huſa.

quadam, tunc ſita non longè ab vrbe Rhætiæ Auguſta, Suainhuſa dicta, collocauit. Poſtea milleſimo, centeſimo, nonageſimo ſexto (vel, vt quidam volunt, ſeptimo) anno, nuptias

Nuptiæ Philippi & Irenæ.

cum ea ad Feſtum Pentecoſtes, in latiſsimo extra Auguſtanam vrbem Lyci amnis campo, qui concio legionum dicebatur (vulgò, zum Gunzimlech) celebrauit ſplendidiſsimas: omnibus, aut certè pleriſq;, Germaniæ Principibus (Auguſtus enim Henricus, iam in Germaniam redierat) præſentibus.

Ritus nuptiarum

Erat autem etiam duodecimo ſeculo Domini, ritus hic in matrimonijs coniungendis. Sponſalia, dos, coniugum conſecratio in loco ſacro, conuiuia, choreæ, muſica ſuauiſsima, ex-

Syrmatis pone geſtatio.

ercitationes equeſtres. Syrma veſtis precioſiſsimæ, quam ſponſa illuſtris geſtabat, ponè eleuatum ferebatur. Quæ conſuetudo iam antiquiſsimis temporibus, apud Perſarum Re-

11. Antiquit. 6.

gum vxores fuit: teſte Ioſepho Hiſtorico de Heſthera: quæ ad „Imp. Aſſuerum adiens, duas pediſſequas habebat: quarum vni „leuiter innitebatur: altera prolixitatem veſtis eius, Syrma ſcilicet, ſummis digitis alleuabat: τὸ βαθὺ τοῦ ἐνδύματος, καὶ μέχρι τῆς γῆς κεχυμένον, ἄκροις ἀπηώρει τοῖς δακτύλοις. Ipſa autem incedebat, μεστὴ μὲν τὸ πρόσωπον ἐρυθήματος: προσηνὲς δὲ καὶ σεμνὸν ἐπικειμένη τὸ κάλλος: venuſto & honeſto vultu.

Sic igitur Irenam, ex captiua rurſus liberam, ex vidua triſti ſponſam honoratam, ex ſerua magnificam Dominam, diuina benignitas fecit. Regnum ei ademerat Siciliæ: præpotentem iam Sueuiæ Ducatum, & poſtea Imperium Romanum, dedit. Sæpe calamitates, viam ad maiorem felicitatem muniunt. Quanquam terrena felicitas, valde quàm inſtabilis

Eruditio Irenæ.

eſt. Irena itaque, vt docta, & ex hiſtoriarum lectione, ſuaque experientia, non ignara caſuum humanorum, haud voluntate ſua ad ſecundas nuptias tranſijt: cùm cœlibem in poſterum vitam,

vitam, & curarum expertem, agere conſtituiſſet. Sed obſtabat ei generis, & ingenij, & formæ ſuæ, excellentia: qua, *ὡς ἀμάχῳ πράγματι*, Dux Philippus inflammatus: illam abſque copulatione ſecum, dimittere non potuit.

*Ο'υ σθένεν εἰρήνης περικαλλέος ἄμμορος εἶναι.*

Anacreon. Νικᾷ δὲ καὶ σίδηρον, καὶ πῦρ, καλή τις οὖσα.

Curauerat ipſum quoque (ſicut & fratrem Henricum) ad bonas literas & linguas erudiendum, pater Fridericus Barbaroſſa. Magno videlicet ornamento, atque etiam emolumento, principibus eſt eruditio. Magno quoque ſtudio eas plantare, rigare, augere, officij ipſorum eſt.

Attulit hoc coniugium Philippo maiorem dignitatem, nec nihil etiam opum, ad res ſequenti tempore neceſſariò gerendas. Non autem diu poſt nuptias, mandatu Imp. Henrici, profectionem ad inſpiciendum Siciliæ Regnum ſuſcepit: domeſticarum rerum inſpectione, Diethelmo interea commiſſa, Conſtantienſi Epiſcopo. Verùm in Siciliam, propter Italorum inſidias peruenire non potuit: ſed magnis poſtea difficultatibus preſſus, vix in Germaniam reuerſus eſt: præſertim ideo, quòd frater Henricus Imp. qui in Italiam & Siciliam redierat, die Feſto S. Michaëlis, vndecimo ſalutis ſeculo, & nonageſimo octauo anno, diem ſuum obierat: qui Panormi in ſummo templo, terræ mandatus eſt: viduâ Conſtantia cum filiolo ſuo Friderico, in Regni adminiſtrationem ſuccedente.

Profectio Philippi Italica.

Henr. Imp. obitus.

Hinc iam maiorum rerum nata eſt cauſa & progreſſus. Philippus enim, cùm inſignia Imperij (coronam, gladium, pomum, ſceptrum, crucem) ſecum haberet: ac quoſdam intelligeret velle Imperium à fratris defuncti filio, puero Friderico, cui id debebatur, aliò transferre, Sueuiæque facultates ad ſe rapere: concedenda hæc non exiſtimauit: ſed fauore complurium principum, tantum effecit: vt milleſimo, vndeducenteſimo anno, die Martij octauo, ipſe Rex Rom. crearetur. Felix tunc ille fuiſſet, cum ſua dilectiſsima conſorte Irena: niſi Papa Innocentius III. ſummo ſe ſtudio opposu-

Philippus, Rom. Rex creatus: & contra eum, Otho Saxo.

poſuiſſet: tum fratris Henrici defuncti odio: quòd is perfidiam Siculorum, quorum inſidijs appetitus fuerat, grauiſsimè vltus eſſet: tum aduerſus Sueuorum Principum potentiam inuidiâ: quos Regni Siculi poſſeſsione exuere conabatur. Ego aut detraham (inquit) Philippo coronam Regiam: aut

Papæ Innocentij acerbitas.

mihi ipſi inſigne Apoſtolicum auferam. Parcius, τριστέφανε. Demonſtra prius, te ab Apoſtolo Petro iſtud τρίλοφον Inſigne habere: cui & collegis, à Domino dictum eſt: Reges gentium dominantur eis: VOS AVTEM, NON SIC. Innocentius verò, nihil penſi habens, quid in ſacris mandaretur literis, effecit: vt ab alijs Principibus, etiam menſe Martio crearetur Rex Rom. Saxonicus Princeps Otho. Ita iam Germania, Pontificis malignitate & machinatione, diſtracta fuit in duas factiones, Philippi II. & Othonis IIII. atque ciuili ſanguine,

2. Dodec. 12.

per annos circiter octo, multis in locis rigata eſt. Res multæ & variæ ſunt: quas Annales noſtri, copioſè ſumma cum diligentia congeſtas, & ſuis annis adſcriptas, habent. Sed earum

Philippus, victorioſus.

ſumma eſt hæc, quòd licèt Philippus, vt vir manſueti ingenij, Pontificem ſibi reconciliare (etiam Reginâ Sibylla cum ſuis dimiſſa) ſtuderet, nihil obtinuit: quòd re ad arma & vim deducta, pleriſque omnibus in prælijs, victoria penes Philippum ſtetit: quòd Otho tandem in Angliam profugere coactus fuit. Meliori enim cauſæ fauebat Deus: ac Philippus fidelem in retinendo Imperio tutorem agebat parui ex fratre nepotis: qui poſtea fuit Fridericus II. Imperator maximus. Dicere omnia & ſingula, huius temporis & loci non eſt. Quædam tantùm,

Angeronia & Volupia.

quæ ad Græcam Angelam noſtram propiùs accedunt, dicam. In quibus, aliâs gaudium, aliâs triſtitia: quoniam hæc duo, humanis in rebus alternant: & vrſæ cœleſtis ritu circumeunt. Χαρὰ ϗ λύπη κυκλοῦσιν, οἷον ἄρκτου στροφάδες κέλευθοι, vt Sophocles

Trachin.

loquitur. Nulla quippe in terris eſt ἀκραιφνὴς εὐδαιμονία, ſyncera felicitas: ſed in cœlo tantùm.

Moguntiæ, Philippi & Irenæ coronatio. Fortè tunc ei nomen Mariæ, pro Irenæ factum eſt.

Anno eo, quo electus eſt Philippus Rex Rom. Moguntiæ (à multis Prælatis & Principibus: Sueuiæ, Bauariæ, Franconiæ, Turingiæ, & alijs) coronauit eum Tarentinus Archiepiſcopus, magna cum ſolennitate. Irenam, Regio diademate,

non

non coronatam, ſed circulatam, proceſsiſſe, Arnoldus Lubecenſis Abbas ſcribit. Qualis illa circulata proceſsio fuerit: in Saxoniæ deſcriptione, ſibi ignotum eſſe Crantzius ſignificat. Ego, non coronam latino ritu geſtaſſe exiſtimo: ſed diadema more Imperatorio Græco: cùm patrem ipſa habuerit Imperatorem Græcum. Aduerſabatur Philippo Colonienſis Archimyſtes Adolfus: & Otho Aquis, vel Aquisgrani, coronam accepit: ab Angliæque Rege Richardo, pecunijs ſuffultus fuit, vt eius ex ſorore nepos. Qui autem ritus tunc coronandi fuerit: non poſſum exactè dicere. Cogitari tamen poteſt ex eo: quo, triceſimo ab hinc anno, creatus eſt Bohemiæ Rex, Maximilianus II. inclytus: cum vxore ſua ſereniſsima Maria, Caroli V. glorioſiſsimi Imp. filia, menſe Septembri, vnctione, & alijs permultis cum ceremonijs. Interrogatus à Metropolitano Epiſcopo: vis fidem ſanctam, à Catholicis viris tibi traditam, tenere: & operibus iuſtis obſeruare? Reſpondit, volo. Vis S. Eccleſijs, Eccleſiarumque miniſtris, tutor & defenſor eſſe? volo, &c. Adduxit deinde Rex Reginam ad Metropolitanum cum his verbis: Reuerende pater, poſtulamus: vt hanc conſortem noſtram, nobis à Deo coniunctam, benedicere, & corona Regali decorare, dignemini, &c. Tum ipſa quoq; coronata eſt, ijſdem ferè omnibus ceremonijs, quibus Rex. 6.Chronic. Sclauor. 2. 7. Saxon. 15. Ritus coronationis.

A partibus porrò Regis Philippi ſtabant, præter ſuprà memoratos, etiam Rhenenſis ora, Magdeburgenſis Archiepiſcopus Ludolphus, Bohemi, Heluetij, & Alpini.

Ipſe circa milleſimum & ducenteſimum Chriſti annum, in Alſatia reſiſtentes, Argentinenſem Epiſcopum Conradum, aliquot caſtris expugnatis: atque ipſam vrbem Argentinam, ſuburbijs eius deuaſtatis, facere imperata coëgit. Ex Alſatia deinde Spiram deſcendit, & ad flumen Moſellam. Ex quo vtroque loco Othonem profligauit: atque cum Irena (quæ mihi videtur, ὡς ἀγαθὴ καὶ φίλανδρος, identidem caſtra & fortunam amantiſsimi viri ſecuta) natalitia Chriſti Magdeburgi egit. Philippus, Argentinæ.

Redeundum iam mihi Conſtantinopolin, ad Irenæ patrem Iſaacium eſt: cui ingens calamitas iam antea acciderat: quæ Imp. Græci Iſaacij calamitas.

huius dilectæ filiæ eius triſtitiam curaſque, aliâs ei non rarò accidentes, iure augebat. Habebat enim ille fratrem natu minorem, nomine Alexium: quem aliquando à Turcis captum, grandi auro redemerat. Debuiſſet ergo meritò ab illo, per omnem vitam amari & coli. Sed ab homine ingratiſsimo, ſæuiſsima regnandi cupiditate impulſo, captus eſt, & exoculatus, atque in carcerem cum filio Alexio puero coniectus. Factum anno Domini milleſimo, centeſimo, nonageſimo quinto. Miſer Iſaacius, luminibus iuxtà, ac Imperio, priuatus: ſexto circiter anno pòſt, Regem Philippum & Irenam, hæredes Imperij, quod habuerat, ſed amiſerat, adoptauit. Literæ ad filiam dilectam à patre, atque à filia ad patrem, commiſeratione dignum, vltrò citroque curſitabant. Pater opem filiæ implorare: filia patrem, quid facto opus eſſet, docere. Has, aut ſimiles literas Græcas, ante quinquennium ego perdiligenter inquirebam, ſed fruſtrà. Perijſſe exiſtimo iam olim, nemine curante.

Tyranni Alexij ingratitudo.

Scriptio Iſaacij ad filiã Irenam.

Potuit autem in ſua ad filiam ſcriptione Iſaacius, inter alia ponere ſententiam, qualis eſt hæc Sulmonenſis Poëtæ.

4. Pont. 16.

*Omnia perdidimus. Tantummodo vita relicta eſt:*
*Præbeat vt ſenſum materiemq́ꝫ malis.*

Et ad generum Philippum, talem eiuſdem Poëtæ ſententiam.

2. Pont. 9.

*Regia (crede mihi) res eſt, ſuccurrere preſſis:*
*Conuenit & tanto, quantus es ipſe, viro.*

Hæc quidem, tunc ſatis diu. Nec verò perpetuò diuina abſuit vindicta, à ſcelere perpetrato: ſed tandem euigilauit: Τιννυμένη λώβην θυμαλγέα, καὶ κακὰ ἔργα: vt apud Homerum eſt. Filius enim Iſaacij, cuius mentionem fecimus, Alexius puer (duodecim fortaſsis annorum) è cuſtodia primo poſt duodecimum ſeculum anno profûgit: naue Piſani cuiuſdam vectus, in Italiam & Siciliam vênit. Fuit & Romæ. Soror Irena (cognito, eum in Sicilia eſſe) iuſto Satellitum numero miſſo, ipſum ad ſe in Alemanniam vocauit. Neſcio, num in arcem Hohenſtauffam: an alicubi in caſtra Imp. Philippi. Certè

Odyſſ. 24.

Filius Iſaacij Alexius puer, profugus.

Certè tamen Sueuiam Alexius ingreſſus eſt: ad ſororem,& proinde ad huius maritum, peruênit: literas, quas à patre ſecum ferebat, reddidit: ærumnas huius, fletu & verbis, quantum potuit, exaggerauit. Mulier, iuſto dolore victa, materiam maximo incendio & flammæ excitandæ ſubijcere cœpit: huiuſcemodi ſententijs (vt erat docta, & prudens) ad Philippum vſa.

Eius ad ſororem Irenam aduentus.

Legiſti ex literis miſerrimi patris mei (inquit) dilectiſſime mi marite, ac Domine: audiuiſti, ex verbis fratris mei: quantæ ſint vtriuſque ipſorum ærumnæ. Pater, luminibus orbatus: frater, extorris, planetarum modo hinc inde errans: vterque, Imperio Orientis iniuſtiſsimè ſpoliatus. Auctor tanti ſceleris, non aliquis externus hoſtis eſt: non Turca, non Saracenus: non aliquis ex Sicilia Nortmannus, veteris offenſionis vlciſcendæ cupidus: non aliquis indigena, nos genere non attingens: ſed genere proximus, ſed frater patris, ſed meus puerique huius miſerrimi patruus. At quam ob cauſam? Iniuriâne aliqua à parente noſtro offenſus? Nullâ prorſus: ſed ſummo beneficio affectus. Pater enim ipſum (vt iam antea cognouiſti) quodam tempore à Turcis captum, magna vi auri amantiſsimè redemerat: in honore ſemper habuerat: tantùm non Imperij dignitatem, cum ipſo communem fecerat. Aduerſus tanta beneficia ille, qui omni pietate officioque agnoſcere debuiſſet, ingratiſsimus ſerpens, immaniſsimus draco, extitit. Quid non impia pectora cogis, Regni ſacra fames? Ambitione ille dira in fraudem & ſcelus impulſus, Imperium flagitioſiſsimè ad ſe rapuit. Non is aliquam ſaltem huius partem fratri beneficentiſsimo reliquit, ſed totũ abſtulit: non leui & tolerabili modo fratrem remouit, ſed crudeliſsimè oculos effôdit: non alicui cõmodo loco, ſed tetro carceri, mandauit: nõ ipſum ſolùm à gubernaculis Regni ſuſtulit: ſed filium etiã, hunc luctu perditum puerum, eidem cuſtodiæ incluſit: non deniq; victu liberali & ſufficienti ſuſtentat. ſed vix exiguũ quid panis & vini concedit. Vides, Auguſte, facta ſummè nefaria. Conculcatio maieſtatis eſt, deijcere principẽ ſuũ inſontẽ ex Imperio: ingratitudo impia, optimè meritũ Magiſtratum bonis omnib. ſpoliare:

Pathetica Irenes ad Cæſ. Philippum exhortatio.

liare: parricidij crimen, fratrem, oculis exſculptis, iucundiſsimi Solis aſpectu priuare: quid dicam, in ſqualidum carcerem, cum filio innocente, detrudere? Fame & ſiti macerare? Penè infra mortuos mandare? Moueant hæc, quæ amiciſsimo ſocero tuo acciderunt, vehementer animum tuum: moueant ſenſum optimi cuiusq;.

Exurge, Auguſte, ad iuſtiſsimam conſceleratiſsimi hominis vltionem. Ne patere audaciſsimum exortum exemplum, impunitate ſui ad plures Reges ſerpere.

Excluſit ille ab hæreditate paterna me: contempſit, tanquam vindicare nec volentem, nec valentem, te: fraterculum hunc meum, à ſucceſsione Imperij excluſit: ambos nos, te ac me, quantum in ipſo eſt, ex eo eiecit: ne in id aliquando, caſu aliquo ferente, nos ſuccederemus: & Orientis occidentisque Imperia, iam longo tempore diſiuncta, rurſus in vnum coniungeremus.

Dixit erudita, & iuſtiſsimis cauſis inflammata, mulier.

*Dicentis maduêre genæ: vultumq; per omnem*
*Pallor ijt: vocisq; recens ſingultus apertum*
Theb. 7. *Intercepit iter*: vt Statij verbis vtar.

Heſt 7. Dixit ferè, ſicut Regina Heſthera, Regi Aſſuero de Amanis in populum Iudaicum iniurijs conqueſta. Vtraq;, pia & miſericors: Heſthera, in ſuam gentem: Irena, erga patrem & fratrem. Ergo commotus rerum talium iniquitate Cæſar Philippus, inquit:

*Coniux chara, mihi dolor haud rationis egebit.*
*Pone metus: laudanda rogas, nec digna negari:*
Theb. 3. Vt ex eodem vate loquar.

Faſt. 3. Ergo (vt ab eodem, cuius ſuprà meminimus, Sulmonenſi dicitur.)

*Hoc opus, hæc pietas, hæc prima elementa fuerunt,*
*Cæſaris, vlciſci iuſta per arma patrem.*

Verùm enimuerò cùm domeſtico contra æmulum Imperij Othonem bello Cæſar Philippus occuparetur: atque à Francis occidentalibus (cum quorum Rege Philippo Auguſto ipſe fœdus habebat) & à Venetis, ſacra in Palæſtinam expeditio pararetur

raretur (cum qua multi ſeſe Sueui, alijque Germani, coniunxêre) puerum Alexium Ducibus illarum copiarum, literis commendauit.

Qui cùm Venetias, & ad illos, cupidè perueniſſet: ab eis etiam liberaliter receptus eſt. Sperabant enim, hac occaſione, Orientis & Imperium & Eccleſiam, Romanis poſſe reſtitui. Nam puer grandem quoq; pecuniam, & Eccleſiæ Græcæ cum Latina concordiam (quia longo iam tempore inter ſe diſcordauerant) eis iureiurando, ſi pater ſuus & ipſe in Imperium reſtituerentur, promiſit. *Vindicta, Francis & Venetis, à Caſ. Philippo commendata.*

Omiſſa igitur in præſens Syriaca expeditione: Conſtantinopolin ſecundis ventis petierunt, ducentis quinquaginta vecti nauibus, Alexium puerum ſecum vehentes. Habebant viginti millia peditum, & octo millia equitum. Quibus profligarunt ſexaginta Græcorum millia: Tyrannum Alexium, & generum eius Theodorum Laſcarin, in fugam dederunt: vrbem deditione ceperunt: à cædibus & direptione temperarunt: Iſaacium in libertatem eduxerunt: cum Alexio filio in integrum reſtituerunt. Ita hæc anno tertio ſupra duodecimum ſeculum, impulſu Irenæ & Philippi, hactenus feliciter geſta ſunt: & videbatur res omnis poſtmodum in portu manſura. Sed inſtabiles ſunt res humanæ: & alijs atq; alijs tempeſtatibus obnoxiæ: ſicut Æſchylus ait. *Latinæ claſſis Conſtantinopolin nauigatio.* *Iſaacij, & Alexij F. reſtitutio.* *ἱκέτ.*

αἰολ᾽ ἀνθρώπων κακά:
Πένυδ᾽ ἴδοις ἂν οὐδαμοῦ τἀυτὸν πλερόν.

Varia ſunt hominum mala: nec laborum vſpiam eſt eadem ala.

Receperant ſe in ſua extra vrbem caſtra Franci, & ad claſſem ſuam Veneti: vt ſcilicet ne vrbi, intus manendo, moleſti eſſent. Ciues ergo grandem illam pecuniam, quam puer Latinis pollicitus erat, conferre, & Eccleſiam ſuam Romanæ ſubijcere, grauati, fremebant. Ad hæc, Alexius quidam cognomento Myrtilus, vel Murzuphlus, puerum Alexium (cuius pater Iſaacius iam erat mortuus) faucibus compreſsis necauit: *Interitus Iſaacij, & Alexij F.*

& in Latinos eruptionem cum exercitu vrbano fecit: ſed in vrbem repulſus eſt: quam hoſtes, duodeſeptuaginta dies acriter oppugnatam, tandem pridie idus Aprileis expugnarunt.

Expugnatio Conſtantinopoleos.

Ita patri & filio reſtitutio ſui nihil profuit, ſed exitium attulit. Sed & Murzuphus, de columna altiſsima præcipitatus, interijt: Tyrannusq; Alexius, in Alemanniam ad Regem exulatum

Alexij Tyranni exilium.

miſſus eſt, cum Euphroſyna vxore. Ex malo ſemine, fructus exitioſus, & inde luctus acerbus, exiſtit: ſicut apud eundem

Perſis.

Æſchylum eſt.

ὕβρις γὰρ ἐξανθοῦσα, ἐκάρπωσε στάχυν
ἄτης. ὅθεν πάγκλαυτον ἐξαμᾷ θέρος.

Lucret. lib 2.

*O miſeras hominum mentes, ô pectora cæca,*
*Qualibus in tenebris vitæ, quantisq́; periclis,*
*Regitur hoc æui, quodcunq; eſt.*

Cogitabant iam victores de nouo Imperatore creando. Suadebant quidam, Regem Rom Philippum, vt Francici nominis amantiſsimum, & Iſaacij in filia Irena generum, atq; felicis huius belli auctorem, eſſe creandum: vt, quemadmodum

Aquila biceps.

vna Eccleſia, ita etiam vnum Imperium, Orientis & occidentis, eſſet.

Sed plurium ſuffragio electus eſt Balduinus, Flandriæ comes: vt is præſens vrbi & Orienti contra Barbaros eſſet: cùm

Latinorum Conſtantinopoli Imperium.

Philippus Cæſar longè in Germania abeſſet. Plura de his rebus dicere non volo: niſi quòd minùs, quàm ſexageſimo anno pòſt, Latinis Conſtantinopolin Græcus rurſus, Michaël Palæologus, eripuit.

Anno dehinc poſt milleſimum duceteſimum quinto, Rex Philippus, Colonienſi Epiſcopo Adolfo ſibi conciliato, ad Feſtum Epiphaneiæ, comitia ſuorum Principum frequentiſſima, in vrbe Aquis habebat. Ibi Regium nomen & coronam, vt electio Regis libera principibus more veteri eſſet, depoſuit: ſed, vt vno animo ab omnibus denuò eligeretur, petijt. Quem voti compotem factum, Colonienſis ille Pontifex, ipſum &

Iterata Philippi & Irenæ coronatio.

dominam Irenen (aliter appellatam Mariam) magna ſolennitate iterum inunxit, atq; coronauit: aduerſario interim Othone, tum

ne, tum grauiſsimè ægrotante, tum ab omnibus ferè deſerto. Ideo Archiepiſcopum Adolphum, à Colonienſi ciuitate Romæ accuſatum, Papa Innocentius, ſicut antea Cæſarem Philippum, ita nunc etiam ipſum, à communione Eccleſiæ excluſit: Bonnenſemq́; præpoſitum Brunonem ſurrogauit. Quocirca caſtellum Landeſcronam, aduerſus Colonienſes Imp. Philippus condidit: ipſorũ vrbem, etſi fruſtrà, obſedit: agrum vbiq; depopulatus eſt. Hæc & alia Germanis innumera mala, malitia Pontificum Romanorum inflixit: quæ ſi nulla fuiſſet: dulci pace plerunq; frui Germania potuiſſet.

Landscron.

Elvvangenſi Abbatiæ hoc tempore præerat Cono Gottboldus: qui & Fuldenſem Abbatiam aliquot annos geſsit: atque Imperatricis Irenes Archicancellarius fuit.

Poſt hanc etiam Aquisgranenſem, de qua modò dictum eſt, repetitam coronationem: Cæſar Philippus, cum Auguſta ſua Angela, quoties per negotiorum molem licuit, Auguſtam Rhætiæ vênit: ibiq́;, vt animo erga eam vrbem optimè affectus, comiter verſatus eſt: & venationibus circa Suainhuſam, ſe oblectauit. Interponenda quippe interdum aliqua recreatio curis eſt: ne nimia contentione, animi frangantur: ſicut rectè à Sulmonenſi dicitur:

Philippus & Irene, Auguſtæ Rhætiæ.

Epiſt. 4. Heroid.

*Quod caret alterna requie, durabile non eſt:*
*Hæc reparat vires, feſſaq́; membra leuat.*

Anno ſequenti Philippus, vt prudens erat, Regnum ſuum etiam affinitatum conciliatione muniendum duxit. Ex quatuor itaque filiabus, quas ei Irena pepererat, Chunigundam VVenceslao deſpondit, Bohemi Regis Ottocari filio: quæ adhuc 1235. vixit. Ethiſam autem, vel Mariam, Brabantini Ducis filio Henrico collocauit.

Liberi Philippi & Irenæ.

Cum Adolfo deinde, qui ſe nondum Colonienſi Archiepiſcopatu abdicauerat, obſidionem Colonienſis vrbis repetiuit: Othonem æmulum, & Archimyſtam Brunonem, qui in vrbe erant, eruptionem facientes, in fugam coniecit: Colonienſibus, ad gratiam eius confugientibus, veniam dedit:

Coloniẽſes, Philippo diti.

eosq; ſibi iuramento obſtrinxit. Otho autem in Angliam aufūgit, ſicut antehac diximus.

Poſteriore anno, Principes Germaniæ diuturnitate belli & calamitatum defatigati, elaborarunt, legatis ad Papam miſ-

Actio de pace inter Philippum & Othonem.

ſis, de pace inter Anticæſares facienda. Suadebant, vt Philippus ab excommunicatione abſolueretur, & Imperio præeſſe permitteretur. Papa facturus hoc erat: ſi ſuo ex fratre nepoti, quandam ſuarum filiarum collocaret Philippus. Sic Tuſciam, & alia dominia, à Sueuis contra Papam detenta, fa-

Auaritia Papæ.

cili negocio ad nepotem ventura ſperabat. Quo audito: ridebant Pontificis auaritiam Philippus & Principes: riſuri omnino magis, autoritatemque eius contempturi: ſi eis tunc ea lux fulſiſſet, quæ nobis hodie ex verbo Dei ſyncero fulget.

Beatrix, Philippi filia.

Northuſæ poſtea in conuentu, principibus viſum eſt: vt Philippi filia Beatrix Othoni nuberet: isque poſt mortem demum ſoceri, Regnum adminiſtraret. Ac Philippus à Legatis Papæ, Cardinalibus, auro qualemcunque abſolutionem accepit: conditionesque pacis propoſitæ, examini ſedis Apoſtolicæ erant ſubijciendæ.

Diximus iam ferè illa, quæ de vita & fortuna Irenæ noſtræ habebamus: in quibus profectò plus fellis, quàm mellis, fuiſſe videtur. Et, quæ proſpera atque aduerſa, viro eius optimo, Imperatori Philippo, acciderunt: ei cum ipſa fuêre communia. Omitti itaque Philippi res, præcipuæ duntaxat, à me non debuerunt.

3. De morte Irenes.

Tranſeo nunc ad tertium, quod ex tribus, quæ dicenda propoſueram, vltimum eſt. Vbi πολλῶν δακρύων ἔσαι πίτυλος (vt Euripides loquitur) δυσχείμερόν γε πέλαγος ἀτηρᾶς δύης (vt in Æſchylo eſt) vbertim lacrymandi materia erit. Ad mortem videlicet Irenes accedo, cognitu certè dignam, atque adeo commiſerandam. Cui occaſionem ſubitus & triſtiſsimus eiuſdem Philippi interitus, anno Domini milleſimo, ducenteſimo, & octauo, dedit. Res ita ſe habet.

ἱππ. στεφ. In Prometh.

Duo Vvaldemari.

Erat Bremenſis Epiſcopatus, à Sleuicenſi Epiſcopo Vualdemaro, illius Epiſcopo Hartuico mortuo, occupatus: Pontifice Innocentio, & Daniæ Rege Vvaldemaro, inuitis. Hoc

ergo

ergo Rege contra illum Epiſcopum, nempe Vvaldemaro contra Vvaldemarum, ſe commouente: Rex Philippus Epiſcopo ſuppetias ire contendebat: Danum etiam Othoni Anticæſari ſtudere exiſtimans. Magnis igitur cum copijs, & apparatu bellico, Babenbergam venit. Ibi dies aliquot commorans, plures milites exſpectat: atq; interim ſanguinem ex vena vtriuſque brachij mediana minuit. Venit eòdem Otho, Palatinus Vvittelſpachenſis, infeſto in Cæſarem animo: quòd hic filiam Chunigundem, ei quodam tempore in matrimonium promiſerat: ſed poſtea, cùm ab hoc Othone nobilem quendam præcipuum, Ducis Bauariæ Aulicum, nefariè occiſum cognouiſſet: animo mutato, illam Bohemo Vvenceslao (vt ſuprà audiuimus) dederat.

Sanguinarius itaque homo Otho, repentè veniens, ſe ad Cæſarem intromitti petit, tanquam ob neceſſariam cauſam. Miſeranda Domina, an non in ſomnis præmonita fuiſti de futuro exitio viri: ſicut olim Calpurnia, de cæde C. Iulij? Prò gnara ſui mortalia fati corda nihil. τῶν δὲ μελλόντων τετύφλωνται φράδαι. Intromiſſus facilè Otho eſt, quòd nulla mali ſuſpicio eſſet. Ibi mox Imperatoris (Auguſte Philippe caue) heu heu, collo vulnus infligit: quia nemo aderat, præter Cancellarium Cæſaris, & Henricum Dapiferum Vvaldpurgenſem. Hunc ſibi obſtantem, etiam vulnerat: è conclaui ſe homo audaciſsimus confeſtim proripit: equis ad fugam præparatis, euadit. Cæſar vulnere accepto, paulùm progreditur, loqui conatur, concidit, in ſuo ſanguine exſpirat. Factum eſt hoc XXI. die Iunij anni ſupradicti: in arce Altenburgo, extra ciuitatem Babenbergenſem, circiter vnum milliarij quadrantem, ſito. Nec abſq; voluntate eius loci Epiſcopi Egiberti, Papæ Innocentio dediti, factum creditur.

Valer Max. I. lib. 5.

Stat. Theb. 2

Pind. Olym. 12.

Imp. Philippi cædes.

1208.

Altenburgum arx.

Pios videlicet & iuſtos etiam, interdum interire ſinit Deus, ſuo quodam nos latente iudicio: ſicut iuſtum Abelum, à fratre Caino interfici ſiuit: ſed ſuo tempore grauiter vindicauit. Præceſſerat eodem anno eclipſis Solis, menſe Februario, horâ ante meridiem nona. Sepultus eſt Philippus magnificè,

Gen. 4.

ficè, primò Babenbergæ in primario templo: deinde, per Fridericum II. Imp. Spiræ, in Baſilica inter Mauſolêa Regum.

Principum cautio.

Iudic. 3.

Non ſemper conducit, Principes eſſe ſolos, aut nimiùm confidere, & quoſuis ad ſe admittere. Senſit cæſus Moabita Rex Eglon ab Iſraelita Aodo: ſenſit Turca Amurates I. à Miloſcho Kobolio: Lazari Seruiæ Deſpotæ, ab Amurate interfecti, Aulico: ſenſit ante triennium Henricus III. Franciæ Rex, ab audaciſsimo ſimulatore Monacho Iacobo Clemente. Interfecto autem ſic indigniſsimè Philippo Rege (qui fuerat iuſtus, humilis, mitis, affabilis, literatus, & pius) maxima perturbatio animorum accidit (*κοινὸν ἄχος, πᾶσιν ἄελπτον*) clamante optimo quoque: Hei mihí, cecidit Princeps noſter: cecidit gloria noſtra: cecidit Regnum noſtrum. O conſceleratum latronem, qui tantum Heroem perfidiſsimè interemit.

Eurip. ἱππ. στεφ.

Irenę luctus.

Optima autem, & miſeranda Auguſta, Irena (quæ forſitan ipſa quoque tunc apud Babenbergam fuit) luctuoſiſsimo caſu cognito: quanta conſternatione animi concuſſa fuit? Quanto mœrore & luctu oppreſſa?

Iliad. 22.

Ovid. Heroid. 13.

Ἤριπεν ἐξοπίσω, ἀπὸ δὲ ψυχὴν ἐκάπυσσε: concid ſſe dicitur, ſicut optima Antromache, viſâ chariſsimi mariti Hectoris circa patriæ mœnia raptatione. Succiduo fertur procubuiſſe genu: ſicut optima Proteſilai coniux Laodameia.

> Ἡ δ' ἐπεὶ οὖν ἄμπνυτο, καὶ ἐς φρένα θυμὸς ἀγέρθη:
> Ἀμβλήδην γοόωσα, μετὰ παρεῦσιν ἔειπεν.
> *Vtq; animus rediјt: plorantis verba fuerunt.*

Μονῳδία, vel nænia, Irenæ.

Hei mihi calamitoſiſsimæ. Ex quanta felicitate decidi? Regio ſanguine nata, Regibus nupta, Regijs honoribus affecta. Quantum malorum experta ſum? Primum coniugem in Sicilia amiſi: chariſsimo patre ſpoliata ſum: alter quoq; coniux, ac dulciſsimus dominus mihi ereptus eſt.

Ovid. Metamorph. 10.

Heroid. 13.

> *O vtinam pro te vitam, tecumq;, liceret reddere.*
> *Soluor ab amplexu, chare marite, tuo.*

Perijt

Perijt intra cubiculum, qui nullo in prælio perierat: occiſus eſt à ſubdito fraudulento, quem nullus hoſtium immanis occidere potuerat. ὦ τοῦ οὐχ᾽ ὑπερτοξευσίμου μιάσματος, o ſcelus inexuperabile. Perijt ſolatium, quod habebam: perijt vnica mea in terris ſpes: perijt omnis cauſa cupiendi diutiùs viuere. In locis peregrinis ſum: in patriam reditus nullus eſt: κακῶν δὲ πλῆθος, ποταμὸς ὥς, ἐπέρχεται, fluctibus malorum inundor. Vnà tecum, dulciſsime marite ac domine, emori aueo. Sepulcro vtinam eodem contegamur: qui cum ſumma inter nos concordia viximus. In altera tamen vita, in illa per Chriſtum reſtituta beatitudine, rurſus mutuo aſpectu fruemur: quod vtinam breui contingat. Sic, miſerrima. Aeſchyl. ἱκέτ. Ibidem.

*Plura dolor prohibet: verboq́; interuenit omni*
*Plangor: & attonito gemitus à corde trahuntur.* Metamorph. 10.

Hoc in tanto mœrore cùm ipſa eſſet: grauiſsimique etiam dolores, ex ferente coniugij fructum vtero accederent: à familiaribus, nobilibus & illuſtribus, ad fouendam & conſolandam, nihil eſt prætermiſſum: ſed ſumma pietate & commiſeratione, quicquid excogitari haberique poterat, adhibitum. Cum feſtinatione deniq; in caſtrum Hohenſtauffam deducta eſt: vbi aliquanto adhuc tempore ſuperſtes manſit: teſtantibus hoc eius literis: quibus curiam quandam ſuperioris Eſslingæ, Madelbergenſi Eccleſiæ, propter Dominum ſuum, qui inteſtatus deceſſerat, tradidit. Quarum literarum principium & extremum eſt hoc: MARIA DEI GRATIA Rom. Regina Auguſta, vniuerſis hoc præſens ſcriptum intuentibus. Iudicia Dei, abyſſus multa. Cùm dilectus Dominus, ac maritus noſter, Philippus, glorioſus Rom. Rex Auguſtus, ſicut diuina præuidit ordinatio, & fieri permiſit, eius occulto iudicio, ab hac vita diſceſſerit inteſtatus: nos, quæ adhuc ei ſuperſtes ſumus, &c. Teſtes huius rei ſunt: Hohenſtauffam deductio.

Comes Ludouicus de Vvirtemberch.
Vlricus Notarius, &c. Datum apud Stouphen,
XIII KL. Sept. Indict. XI.

Luctu

Obitus eiuſdem.

Luctu poſt hæc paulatim confecta: animâ ſua in manus Dei per Chriſtum (vt omnino confidimus) reiectis ſuperſtitionibus, tradita: extincta eſt (Heu, heu) ipſa & fœtus (abortione ſcilicet facta) ἡ δῖα γυναικῶν: & de arce Hohenſtauffa, trans amnem Remſam vecta Lorcham, ibi in templo Monaſterij (altero poſt vndecimum ſeculum anno, à Friderico Antiquo Hohenſtauffenſi, cùm antea arx fuiſſet, conditi) magno luctu & ſplendore eſt humata. In quo fano, familiæ huius

Sepultura.

Stauffenſis conditoria erant tria in choro ante ſacrarium: in quorum ſiniſtro, tunc Irenæ corpus depoſitum fuit.

Anno autem ſeptuageſimo quinto ſupra milleſimum & quadringenteſimum, ſepulcra Abbate Nicolao de Arberg aperta fuerunt: oſſa & caluariæ multæ, reperta: multi etiam flaui crines: eaque omnia, communi monumento in medio templi erecto, contecta. Duces Sueuiæ, & Imperatores, in columnis pulchrè picti. Inter quos, Rex Philippus & Irena, tabellam altè tenentes: in cuius medio, Chriſtus crucifixus: in dextera eius tabellæ ala, Iſaaci immolatio: in ſiniſtra, ſerpens eleuatus Moſis.

Tabula.

Ταῦτα μὲν, ἐπὶ τοσοῦτον. Νῦν δὲ, εἰ ἐξείη ἀνειδωλοποιεῖσθαι ἄνθρωπον θανόντα, ἢ θανοῦσαν: ἢ εἰ οἱ ἐν τῷ ἑτέρῳ αἰῶνι τὰ ἡμῶν, τῶν ἐπὶ τῆς γῆς ἔτι ἰλυσπωμένων, εἰδεῖεν: εἴποιμι ἄν. Λαμπροτάτη γένει τε καὶ ἀρετῇ, βασίλισσα εἰρήνη, κόσμε τῆς ἡμῶν Συνβίας: διὰ τί οὐδὲν συνέγραψας αὐτὴ περὶ τῶν ὑμετέρων πραγμάτων, καὶ σεαυτῆς: ὥσπερ πάλαι ἡ κυρία Ἄννα, ἡ κομνηνὶς, περὶ τοῦ ἑαυτῆς πατρὸς Ἀλεξίου; ἐδυνήθης μὲν ἂν λαμπρῶς, ὡς συνέσεως καὶ παιδείας εἶχες: ὑπὸ δὲ τῶν τῷ φιλτάτῳ σύζυγί σου ἐνοχλησάντων τοῦ ἐμφυλίου πολέμου κόπων ἐκωλύθης: ἢ μᾶλλον εἰπεῖν, ὑπὸ τῆς εἱμαρμένης προὐλήφθης. Λάμβανε δὴ, ὦ ἐπιφανεστάτη ἑλληνὶς, ἡ σχεδὸν λήθῃ παρὰ τοῦ χρόνου μέχρι δεῦρο παραδοθεῖσα, τὰ οἷα δηποτοῦν ταῦτα: παρὰ γερμανοῦ μὲν ἀνδρὸς, φιλέλληνος δὲ, καὶ φιλειρηναίου, γεγραμμένα: ἅπερ ὅμως μᾶλλον, ἢ ὁ χρυσὸς, καὶ αἱ τίμιαί σου λίθοι, μνήμην σοὶ μόνιμον περιθήσει.

Καὶ μετὰ σοῦ, τὸν σῇ ψυχῇ τίες ἴσα, φιλίππου,
Αὖθις ἐγερθεὶς ζωῆς ἐς ἀτέρμονα ὄλβον.

ὑμεῖς

ὑμεῖς μὲν ἀφωρίσατε ἂν μοι χρήματα ϗ κτήματα· εἰ ταῦτα ἐπὶ τιμῇ ὑμῶν, ὑπ᾽ ἐμοῦ ποτε οὕτως ἐκδοθησόμενα προείδειτε. τῶν δὲ σήμερον μέγα δυναμένων, οἱ πολλοὶ λίαν καταφρονητικῶς ϗ φειδωλῶς, πρὸς ἄνδρας πεπαιδευμένους ϗ φιλοπόνους διάκεινται. κριτὴς ἔσω ὁ θεός.

Fecimus verba hactenus, magnifica, excellens, humaniſsima, & reuerenda concio, de Irena Angela (Germanis Frideruna, Hebræis Salome) quæ Mariæ Græcæ nomen apud Germanos habuit: ac diximus tantum, quantum ſatis eſt: cùm multò plura ſparſim de ipſa in Annalibus ſcripſerimus. V. Epilogus.

Hæc, inſignis Catharina fuit, flos Regiæ nobilitatis: ſpeculum pulchritudinis, non modò corporis, ſed magis animi: exemplum caſtitatis, humilitatis, manſuetudinis, eruditionis, prudentiæ, pietatis erga Deum (quamuis verbo Dei non ita, vt hodie, lucente) ſpecimen charitatis erga parentes, amoris coniugalis, calamitatum & patientiæ. Quæ, ſi Deo ſic placuiſſet, non minùs pro chariſsimo ſuo viro Philippo, quàm Alceſtis Euripidis pro Admeto ſuo, mortem oppetere voluiſſet: non minùs etiam luctu & deſiderio Philippi ſui, quàm Laodameia ſui Proteſilai, extincta eſt. Voluit quippe poſtremò morte etiam, ſicuti concordiâ per vitam, amantiſsima Heirene, cum viro ſuo εἴρεσθαι, veluti connexa eſſe. Quos in altera quoq; vita, ſempiterna felicitate coniungi optamus, & ſic fore ſperamus. Amor coniugalis inter Irenen & Philippum.

Cæterùm ſucceſsit Philippo in Imperio aduerſarius Otho: ac filiam eius Beatricem, ex Irena, vxorem duxit: ſed & ipſa breui obijt. Vvittelſpachium genus, proſcriptum fuit, & imperio expulſum. Qui autem Regem Philippum trucidauerat, Otho: ab Henrico Calatino, in vindictam ſceleris confoſſus eſt, non procul Abudiaco Bauariæ: caputque eius, in Danubij fluenta proiectum. Ita, Æeſchylo teſte, Otho, Philippi ſucceſſor. Cædes Philippi, vindicata. ἑπτὰ ἐπὶ Θήβ.

> *Ἄτης ἄρουρα θάνατον ἐκκαρπίζεται:*
> *Veſania aruum, mortis affert exitum.*

Othonis porrò ſucceſſor fuit Fridericus II. Barbaroſſæ nepos: cui fideliſsimè cuſtodiuerat imperium patruus Philippus. Compendiũ reliquæ Hohenſtauffica ſtirpis.

Piſcem lupum coniecerat hic Fridericus anno Domini milleſimo, ducenteſimo, trigeſimo, in ſtagnum apud Hailprunnam, cum circulo Græcis verbis inſcripto: qui piſcis ducentis ſexaginta ſeptem annis pòſt, viuus captus eſt, Anno C I Ↄ CCCC XC VII.

Fridericum hunc ſecutus eſt Conradus Filius, Rex Rom. quo natus eſt Conradus vltimus. Quem Siciliæ Regnum, & reliquas in Italia ditiones, paternas atque auitas, armis iuſtè repetentem, Clemens IIII. Pontifex, prælio à Carolo Gallo ſuperatum (quem contra ipſum euocauerat) anno milleſimo, ducenteſimo, vndeſeptuageſimo, Neapoli ſecuri feriendum curauit. Cùm enim Clementem Carolus conſuluiſſet: quid faciendum eſſet de Conradino (ſic Conradum hunc diminutiuo nomine Itali vocant, quòd ætate adoleſcentulus eſſet) à Papa hoc clemens reſponſum miſſum eſt;

Conradulus poſtremus.

*VITA Conradini, mors Caroli:*
*MORS Conradini, vita Caroli.*

Sicut ſcilicet Cicero Verr. 4. dicit: Verris abſolutionem, eſſe Siculorum euerſionem. Suadebant contrà Gallici, & alij, nobiles: eum, qui ex tanta, ac tam illuſtri familia, natus eſſet, nullo modo eſſe occidendum: ſed matrimonio aliquo inſigni (vt, ipſius Caroli filiæ) deuinciendum. Verùm pronunciata eſt capitalis ſententia: tanquam ille pacem Eccleſiæ perturbaſſet: ac falsò ſibi nomen Regium tribuiſſet. Negauit hæc animosè Conradinus: cauſamque ſuam, auito Regno iniuſtiſsimè ſpoliati, cum anima ſua Deo piè commendauit: ſecuriq́ue ceruices fortiter præbuit. Factum IIII. K L. Nouemb. die lunæ, Auentino teſte. Carnificem illius, ſtatim alter quidam carnifex interfecit: Carolo Gallo ſic procurante: ne prior, de ſublato à ſe tanto Principe gloriari poſſet. Sed & ille, qui capitalem ſententiam recitauerat, continuò à Flandriæ Comite Roberto, Caroli genero, gladio confoſſus eſt. Sepultus Neapoli Conradinus eſt in ſacello: quod in loco, vbi obtrun-

obtruncatus fuerat, ædificatum eſt: in foro, non longè è Car-
melitanæ Mariæ templo. Ita ille Clemens nobiliſsimam Ho- Clemens in-
henſtauffenſem præſtantiſsimorum Sueuiæ Ducum familiam, clemens.
quæ centum viginti quinque annos, Imperij Romani guber-
nacula glorioſiſsimè rexerat, inclementiſsimè, & Italorum et-
iam iudicio illaudatè, miſerandum in modum extirpauit.
Sed nec ipſe diuturnam lucis vſuram habuit: & Conradini
mors indigniſsima, haud leuiter à Deo vindicata eſt, vt in An-
nalibus prolixè docetur. Omnis videlicet caro, fœnum eſt: Eſai. 40.
exciduntque flores etiam pulcherrimi: & extremum præſen-
tis vitæ, luctus eſt. In cœlo verò ſolo, ciuitas eſt perennis, &
vita imperdita: vbi à piorum oculis omnis lacryma abſter- Eſai. 25.
getur. Quò, faxit Deus, vt per gratiam eius, Apoc. 7. & 21
omnes ſtabili in Chriſtum fide per-
ueniamus.

A M E N.

# SCHOLIA M. CRVSII
## IN SVAM IRENAM, 1597.

*Pag. 4. Non tamen cum ijs miraculis.)*

PLVRIMÆ res mirè confictæ ſunt ab illis: qui tempus in talibus ineptijs excogitandis, quàm in S. literis ſcrutandis, conſumere maluerunt. Exempla tantùm paucula conſiderentur ex Legendis Germanicis, Argentinæ 1502. excuſis. De Rege Oſualdo: qui per coruum, humana voce loquentem, nactus ſit ethnici Tyranni filiam. De S. Bernhardo: qui ſuctu lactis S. Mariæ, puer, doctiſsimus euaſerit. De S. Gregorio in petra, vel ſaxo: qui ex fratris & ſororis complexu natus ſit: &, ceu nouus Oedipus, matrem ignarus duxerit. De S. Chryſoſtomo: ad quem, in ſolitudine Deo ſeruientem, ventorum turbine Regia virgo delata fuerit: & ope eius implorata, in cellulam intromiſſa, à S. viro (licèt eam lineâ, quæ tranſiri non deberet, à ſe diſpeſcendam decreuerit) virginitate amiſſa, diſceſſerit. Vnde ipſe tanto animi dolore excruciatus fuerit: vt piloſus toto corpore factus, hinc inde vagatus, à venatoribus pro fera beſtia captus ſit. Sed, cùm talia putridum fundamentum, non veram hiſtoriam, haberent: nomina propria hominum, & locorum, & temporum, ſæpenumerò omiſſa ab Auctoribus fuerunt.

Figmenta in Papatu.

*Pag. 4. Ad ſepulcrum, in quo credebantur.)*

Verba fratris Felicis, qui apud id ſepulcrum fuit: & ex vrbe Vlma Hiſtoriam ſuæ cum nobilibus, Hieroſolymam, & ad S. Catharinam, profectionis, edidit. Der Sarck S. Katharina/ ſtehet im Chor neben dem Fronaltar/ zu der rechten Seiten des Altars/ vnder einem Schwibogen/ vberzwerch gemauret/ an einem Pfeiler: Vnnd iſt ein kleines Särcklein/ von gantzem ſchneweiſſen Marmelſtein gehawen/ mit einem ſteinern Deckel: vnd ſind Bild vnd Gewächs darein gehawen/ auſſen herumb: vnnd iſt ein wenig mehr/ dann drey Spannen/ lang: vnd anderhalb Spannen breit: vnnd bey zwo Spannen hoch. Bey dem Sarck brennen vil Ampeln mit Baum-

Sarcophagus S. Catharinæ.

Bannmöl. Was der Finger noch da ſind von der würdigen Jung-
frawen Hände: die ſind ordenlich zuſamen gefügt: als hette ſie die
Hände in einander geſchlagen: vnnd ſtecken die Finger vol köſtlicher
ſchöner güldener Ringe/ꝛc. Der ein Arm mit der Hand/ iſt zu Rodis
in des Großmeiſters Capellen. (Sed vbi nunc eſt, poſtquam Tur-
ca Rhodũ cepit?) Das heilige Heiligthumb iſt vmblegt mit Baum-
wollen. Der Vatter gieng zu dem Sarck: vnnd kußte das würdige
Haupt S. Katharina. (Q. D. Ihr Teutſche Narren/ gebet Gelt her/
ſind jhr mir ſo lieb.) Vnnd ich Bruder Felix ſtrich an das heilige
heiligthumb / alle Kleinot/ die ich bey mir hatt: Pater noſter, gülden
Ringe / vnnd ſilbern Ringe: eingefaſſet edel Geſtein / vnnd Zeichen /
vnd Creutzlin/ vnd Bildlein/ ꝛc. Hæc ille. At nos ad puerum Ie-
ſum, fide & precibus peregrinemur: qui Luc. 2. cum ſapien-
tibus Iudæis ſapientiſsimè ſermones contulit: qui nobis
1. Cor. 1 à Patre ſapientia factus eſt, iuſtitia, ſanctificatio, & re-
demptio: qui etiam Matth. 11. nos ad ſe peregrinari iubet: Ve-
nite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis: Ego vos refi-
ciam. Qui credit in filium Dei, habet vitam æternam, Ioan. 3.
Ieſu fili Dauid miſerere mei, Luc. 18.

*Pag. 5. In quibus Annalibus.)*

Qui poſtea anno 1596. Francofordiæ, typis Nicolai Baſ-
ſæi edidi ſunt. Menda, quæ inter properandum inuaſerunt,
doctus & benignus lector, facilè & æquo animo pleraque
ipſe corriget.

*Pag. 7. De qua Regia matrona.)*

Non certè de vetuſtiore, quæ temporibus Caroli M. cir-
ca 800 Chriſti) vixit: & in Conſtantinum F. dura fuit: ſi-
cut quidam me de hac inquirere putabant, ignorantes hanc
meam multò poſteriorem Irenam, mihi magis placentem.

*Eâdem pag. Non poſſum hanc Græcam.)*

Quam diligo, quoniam inſignis Græca: ſicut Meta-
morph. 10. Peligni vatis, Pygmalion ſuam, quam fecerat, ebur-
neam virginem: ſed ſummâ reuerentiâ, tantam maieſtatem &
virtutem diligo: eiusq; itidem coniugi inclyto, Imp. Philippo
Sueuo, calamitoſo, συμπάσχω, condoleo.

Sempronia.

Laudat Valerius etiam Max.lib.3.cap.8.Semproniam, Tib. & C. Gracchorum ſororem: quòd L. Equitium, qui ſe Tiberij fratris filium fingebat, agnoſcere noluit.

*Pag. eâdem. De Auguſta igitur Græca.)*

Mortuis debitum officium.

Ἔστι δὲ καί τι θανόντεσσιν μέρος,
Κἀννομον, ἐρδόμενον. Pind. Olymp. 8.

Eſt quoddam officium, quod etiam mortuis rectè præſtatur, honeſta ſcil. de ipſis recordatio.

*Pag. 8. Alicunde mihi ſignificatum eſt.)*

Habuit id David VVollæber VVeileranus, Schorndorff. Præfecturæ, Sueuicarum rerum amator, ſic inter alia Scripta relictum ab Adelberg. Abbate Bercholdo Dyrr: qui 1501. Domini obijt: cùm 33. annos Adelbergenſi Monaſterio præfuiſſet: natam eſſe Irenam CIƆ. C. LXXII. anno, ex vxore Conſtantinopolit. Imp. (ſequenti tempore facti.) Iſaacij.

*Pag. eâdem. Fortè ab εἴρειν.)*

εἰρήνη.

Euſtathius 2. Iliad. Pag. 347. εἰρήνην etiam à ῥέειν deducit: quòd τὸ λέγειν tempori pacis conueniat: ſed ἄρης, κατὰ στέρησιν τοῦ ῥέειν, ἔργα ποθεῖ.

*Pag. 9. Ad loquendum, ad incedendum.)*

Sic adoleſcentem Achillem, in Aula & Gynæceo Lycomedis Scyrij abdendum, mater Thetis INCESSVM motumque docet, fandiq; pudorem, &c. Statij Achilleidos. 1.

*Pag. 13. Et puerum Guilelmum.)*

Rogerius, Nortman. Rex.

Thomas Fazellus, rerum Sicularum Scriptor, poſter. Decad. lib. 7. cap. 6. & 7. ait: Tancredum anno 1195. Domini, anno Regni ſui 5. obijſſe: & liberos reliquiſſe, Rogerium, Alteriam, Conſtantiam, & Madoniam. Hunc Rogerium, Apuliæ Ducem, ei in Regno ſucceſsiſſe: quem falsò pleriq; Guilelmum appellent. Ita nullum tribuit Tancredo Filium, qui Guilelmus vocetur: nec Irenæ mentionem facit: ſed hunc Rogerium, ab Henrico VI. Imp. 3. Cal. Ianu. cum ſororibus Panhormi

hormi

hormi captum, in Alemanniam abductum, & luminibus genitalibusq; partib. priuatum, feſſam tandem exhalaſſe animam, perhibet. Miror hæc. Ergo intelligendum fuerit: huic ipſi Rogerio, in Panhormitano palatio, Irenam fuiſſe, vt nuptam, ita & ereptam.

*Pag. 14. Inde Panhormum.)*

Quæ vrbs copioſè 1. Decad. 8. deſcribitur à Fazello. Vnde ſumma quædam collecta, Annalium Sueuic. Cruſij Dodec. 2. lib. 12. cap. 4. extat. Ad occidentem verſus, inquit, arx eſt præclara, quam palatium Regale appellant: magnificè ex quadratis lapidibus compacta: & in multis ſui partibus Pario marmore, ac auro gemmisq;, eximiè ſplendideq; ornata: multorum huc vſque Regum & Imperatorum domicilium. Hanc à Sarracenis, primùm Panormum adeptis, ſuper veteris arcis ruinis excitatam, literæ in ea inciſæ indicant. His poſtea ſubactis: Robertus Guiſcardus, & Rogerius Comes, Panormo potiti: præaltis muris, cæterisque turribus ac propugnaculis, ſuo more, munitiorem reddiderunt, &c. Aulæ ſunt in ea arce complures in receſſu circumquaque: vermiculato opere ac gemmis valde inſignes: cultu magnificentiaque Regia inſtructæ: aulæis oſtro tinctis vndique obductæ. Pauimenta marmoreis porphyreticisq; teſſellis conſtructa, &c. Hodie, in horreum mercium illa arx mutata eſt.

Panormi palatium.

*Silius Ital. 14.*

*Tergemino venit numero fœcunda Panormos:*
*Seu ſyluis ſectare feras, ſeu retibus æquor*
*Verteres, ſeu cœlo libeat traxiſſe volucrem.*

*Pag. 15. Circiter 1180.)*

Non potui verum annum exactè nanciſci. Nam etiam 1179. ludis haſticis Coloniæ interfuiſſe à Ryxnero ſcribitur. Ergo puer tunc fuerit. Natus enim poſt fratrem Henricum VI. Imp. qui 1165. natus fuit.

*Pag. 16. Nuptias cum ea.)*

Huc referri poſſent talia.

*Spectato-*

*Spectatores, venientibus principibus Auguſtam.*

Spectatio illuſtrium nuptiarum.

Πλήρεις ὁδοὶ, δρόμοι, πλατεῖαι, πᾶς τόπος,
Διώροφα, τριώροφα, νευόντων κάτω:
Ἀνδρῶν, γυναικῶν, νηπίων, παλαιτάτων.

*Gregor. Nazianz. in ſua vita*

*Progreſſus ſponſæ.*

*Ecce venit diues magno Regina paratu,*
*Diuitior formâ.* *Ouid. Metamorph. 6.* κατὰ παρῳδίαν τῦ:
*Ecce venit diues magno Philomela paratu.*
*Pulchra verecundo ſuffundens ora rubore.* *Idem Metamorph. 1.*

*Fœminæ nuptiales Illuſtriſſimæ.*

*Ibant inſignes, vultuq́ habituq́ verendo:*
*Candida purpureum fuſæ ſuper ora ruborem,*
*Deiectæq́ genas.* *Stat. Thebaid. 2.*

Scripſi 20. Marc. 94. Auguſtam. 1. M. Iacobo Rulichio, ad S. crucis ibi Eccleſiæ miniſtro. 2. M. Dauidi Hoeſchelio, Scholæ Annææ Rectori: petens, an non aliquam nuptiarum Philippi & Irenes, quoniam Auguſtæ fuiſſent celebratæ, deſcriptionem: aut Principum vtriusq; ſexus, qui interfuiſſent, conſignationem: ex Archiuis, aut aliunde, nanciſci poſſem. Verùm intellexi, talia & alia incendio quondam perijſſe. Nihil etiam Gamundiæ, & multis alijs locis, de Irene inueſtigans ampliùs aſſequi potui.

*Pag. 17. Dimittere non potuit.)*

Ideo nec ipſa reſiſtere Imp. Henrico, & ipſi proco. Captiua enim erat: nec debebat ἀστεργάνωρ eſſe, à viro abhorrere: quod verbum in Prometh. Æſchyli, Verſu 875. extat.

*Eâdem pag.* περικαλλέος.)

Formoſitas.

Ἀθανάτῃσι γὰρ ἔσκε φυὴν καὶ εἶδος ὁμοίη.

*Odyſſ. 6. V. 16.*

Παρθενικῆς δὲ βέλεμνα ῥοδώπιδες εἰσὶ παρειαί.

*Nonnus* διονυσιακοῖς.

*O facies occulis inſidioſa meis.* Ouid. Epiſt. 21.

Chi non sà, che ſenza le donne, ſentir non ſi può contento, ò ſatisfattione alcuna; in tutta queſta noſtra vita? La quale ſenza eſſe,

eſſe, ſaria ruſtica, & priua d' ogni dol cezza: & piu aſpera, che quella dell' alpeſtre fiere. Baltaſ. Caſtilio in Aulico ſuo.

*Φευκτέα δὲ, τὰ σωμάτων κάλλη, τὰ παρὰ πονηρῶν ψυχῶν ἐνοικούμενα.* Baſil. *περὶ τοῦ μὴ προσηλῶσθαι.*

*Pag. 18. Irenam, Regio diademate.)*

Reginarum nomina priora, quando in alienos populos nupſerant, & coronabantur, nouis nominibus permutabantur. Sic Fabia, cùm anno Domini 609. (al. 615.) coronaretur, ſponſa Imp. Heraclij, appellata eſt Eudocia. Sicut Cedrenus ſcribit. *ἐστέφθη ἅμα αὐτῷ (ὑπὸ σεργίου πατριάρχου, ἐν τῷ τοῦ παλαλίου εὐκτηρίῳ τοῦ ἁγίου στεφάνου) καὶ ἡ μεμνηστευμένη αὐτῷ φαβία, ἡ καὶ εὐδοκία μετονομασθεῖσα, αὐγοῦστα.* Addam inſcriptionem Nummi Heraclij: quam hodie (19. April. 97.) vidi, alicubi deprauatam: quam ſic rectè à me deſcriptam arbitror.

Reginarum transnominatio.

Lipſius de Cru[illegible] lib. 3. cap. 16.

ΗΡΆΚΛΕΙΟΣ ἘΝ ΧΩ͂ ΤΩ͂ ΘΕΩ͂ ΠΙΣΤῸΣ ΒΑΣΙΛΕΥ͂Σ ΚΑῚ ΑΥ̓ΤΟΚΡΆΤΩ ΡΩΜΑΊΩΝ ΝΙΚΗΤῊΣ ΚΑῚ ἈΘΛΟΘΈΤΗΣ ἈΕῚ ΑΥ̓ΓΟΥΣΤΟΣ.

*In altero latere.*

ΔΌΞΑ ἘΝ ὙΨΊΣΤΟΙΣ ΧΩ͂ ΤΩ͂ ΘΕΩ͂ ὍΤΙ ΔΙΕΡΡΉΞΕ ΣΙΔΗΡΑ͂Σ ΠΎΛΑΣ ΚΑῚ ἨΛΕΥΘΈΡΩΣΕ ΤῸΝ ἍΓΙΟΝ ΒΑΣΙΛΈΑ ἩΡΑΚΛΈΙΟΝ.

Heraclius Imp. circ. 624. Domini, ſæpe Perſarum victor.

Exhibuerat inſcriptionem doctiſsimus iuuenis, è regione mihi habitans, M. Abel Praſchus Auguſtanus. Nummum ipſum argenteum habebat propinquus eius, ciuis Auguſtæ honeſtus & doctus, cum magno antiquorum Nomiſmatum numero, Iacobus Maderus. Sic 1142. Bertha, Sultzbachenſis Comitis Berengarij F. nupſit Imp. Græco Manueli Comneno: & nomen ei factum eſt Irena. Quondam autem 425. Chriſti, vixit Leontij Athenienſis Philoſophi F. Athenais. Hæc Imp. Theodoſio minori nupta, in Baptiſmate (procurante Imperatoris ſorore Pulcheria, Religionem amplexa, ab Archiepiſcopo Attic ſacro liquore abluta) nomen Eudociæ accepit.

Sic Irena noſtra, Mariæ nomine cum coronatione eſt inſignita Moguntiæ, vt mihi videtur. Moguntinus autem Archiepiſcopus ius coronandi ab anno 752. habere fertur.

Ambitio.

*Pag. 20. Sæuiſsima regnandi cupiditate.)*

Stat. Thebaid. 2.

—— *Quia dulcis amor regni, blandumq́ʒ poteſtas.*

Idem Theb. 11.

—— *Prò blanda poteſtas,*

*Et ſceptri maleſuadus amor.*

*In ſententijs, ex Guicciardino Gallicè conuerſ. collectis.*

L'ambition eſt preſque naturelle à tous les Princes. Ambitio ferè cunctis Principibus naturâ inſita eſt.

L'ambition renuerſe tous droicts: & viole nature ſans reſpect aucum. Ambitio euertit omnia iura: & naturam citra vllam rationem violat.

La conuoitiſe de regner, peut plus en l'homme, que la reuerence paternelle. Regnandi libido plus poteſt, quàm vllius cognationis ius.

*Eâdem Pag. Literæ ad filiam.)*

Iſaacius captiuus, conſilia cum quibuſdam (non enim benè ab Alexio Tyranno cuſtodiebatur: ſed poterat ab hominibus adiri) tractabat: ὁπόσα τὴν ἀντιπάθειαν (vltionem in Alexium) ἐβυσσοδόμενον: καὶ τὴν Ἀλεξίου καθαίρεσιν ἐμεθόδευον: γράμματα πρὸς τὴν Εἰρήνην πέμπων, τὴν θυγατέρα: κοινωνὸν λέχους Φιλίππῳ, τῷ κρατοῦντι τότε τῶν Ἀλαμανῶν: πρὸς τὴν πατρῴαν ἐκδίκησιν ὑπαλείφοντα: κἀκεῖθεν διαποτώμενα ἔχων ἀντίγραφα, τὸ ποιητέον αὐτῷ εἰσηγούμενα. Choniata lib. 17.

Inſidiæ.

*Pag. 21. Planetarum modo.)*

Exul.

Ἄστεγός τε καὶ ἄπολις: κατ' ἀστέρας μεταφερόμενος τοὺς πλάνητας: καὶ μηδὲν ἐπαγόμενος, πλὴν τοῦ σώματος.

*Pag. 23. Liberaliter receptus eſt.)*

Cogitantibus & dicentibus ad eas literas talia: qualia παρῳδίᾳ quadam ex 11. Odyſſ. 343. dici poterant.

ὦ φίλοι, οὐ μὰν ἄμμιν ἀπὸ σκοποῦ, οὐδ' ἀπὸ δόξης,
μυθεῖται βασιλεὺς ὁ περίφρων: ἀλλὰ πίθεσθαι.

Pag. 24.

*Pag. 24. Anno dehinc poſt milleſimum.)*

Quo 1205. anno, in Herbertinga Monaſterio, ſepultus fuit Hartmannus Ehinger: cuius familia nobilis adhuc Vlmæ claret. Ex qua Ioan. Chriſtophorus, & Georg. VValtherus, fratres, Ioannis Ehingeri Coſ. & Marthæ Remiæ φαεινώπιδος, filij, anno 1555. à menſe Iulio, vſque in 1557. anni menſem Iulium, Schola & menſa noſtra Memmingæ vtebantur, per biennium. Quorum prior hodie, illius Reipub. ornamentum & præſidium, eminet. Ehingeri Vlmenſes.

*Vide Annal. Sueuic. Dodec. 2. lib. 12. cap. 11. & Dodec. 3. lib. 12. cap. 22.*

Pag. 26. Riſuri magis) γελάσαντες ἂν πλέον.

*Eâdem pag. Vbertim lacrymandi.)*

*An grauis inceptum peragit fortuna tenorem:*
*Et manet in curſu ſemper acerba ſuo?*
*Ouid. Epiſt. 21.*
Πολλοὺς ὀδυρμοὺς καὶ γόους ἀνωφελεῖς *habebimus.*
*Prometh. Aeſchilus.*

*Pag. 27. Euadit.)*
*O Periture, tuaq́ alijs documenta dature*
*Morte. Ouid. Metamorph. 3.*
*Eâdem pag. Loqui conatur.)*
*Me miſerum, dicturus erat: vox nulla ſecuta eſt.* Interitus, Cæſ Philippi.
*Metamorph. 3.*
*Concidit.)*
*Singultantem animam, & verſantem lumina, perdens.*
*Metamorph. 5.*

*X X I. die Iunij.) Vel X I. Kal. Iulij. Die ſcil. S. Albani.*

Τοιαῦτ' ἀπηύρω τοῦ φιλανθρώπου τρόπου (Æſchyl. Prometh. V. 28.) Imp. Friderice Ahenobarbe. Qui antea maiores huius Othonis ad dignitatem euexeras: nunc ab illorum poſtero cæſum amittis filium tuum.

*Omnibus in terris ſcelus hoc, omniq́ ſub æuo,*
*Viderit vna dies. Stat. Theb. 11.*

*Pag. 28. Inter Mauſolea Regum.)*

PHILIPPVS, RODOLPHVS, ADOLPHVS, ALBERTVS.

*Annal. Sueuic. Dodec. 2. lib. 12. c. 13.*

*Apud Babenbergam fuit.) Si adfuit:*

*Vulnera ſuppleuit lacrymis: fletumq́ cruori*
*Miſcuit: & gelidis in vultibus oſcula fixit. Metamorph. 4.*

*Quanto merore.)*

*Hîc equidem, pariterq́ ſinum, paiterq́ capillos,*
*Rupit: & indignu percuſſit pectora palmis. Metamorph. 10.*

ἤριπεν ἐξοπίσω.)

*Labitur, & gelidos mortis color occupat artus. Sil. Ital. 6.*
*——Omnia neruis*
*Membra relicta labant: riguerunt corda: diuq́*
*Spe mortis depreſſa iacet.*

Lucan. lib. 8. vbi idem πάθος Corneliæ accidit: marito Pompeio poſt Pharſalicam cladem exulante.

*Pap. 29. Mihi ereptus eſt.)*

Luctus Irenes. *——O rerum & patriæ ſolamen adempta. Stat. Theb. 5.*

*Emori aueo.)*

Οὐ γάρ μοι θνήσκων λεχέων ἐκ χεῖρας ὄρεξας, &c. Iliad. 24. V. 743.
*Vna tamen ſpes eſt, quæ me ſolatur in iſtis:*
*Hæc fore morte mea non diuturna mala. Ouid 4. Triſt. 6.*

*Sepulcro vtinam eodem.)*

*Semper eris mecum, memoriq́ hærebis in ore. Metamorph. 10.*

*Conſolandam.)*

*Nobile cur robur, fortunæ vulnere triſti,*
*Fœmina tantorum titulis inſignis auorum,*
*Frangis? Lucan. 8.*

*Aliquanto adhuc tempore.)*

In luctu ſcil. degens.

*Congelat interdum lacrymas, duratq́, tenetq́:*
*Suſpenſaſq́ oculis fortior ictus agit.*
*Erumpunt, iterumq́ grauant gremiumq́, ſinusq́:*
*Effuſæ grauibus, vberibusq́ genis.*

*In vi-*

*In vires abijt flendi mora: Plenior vnda*
*Defluit: exiguâ ſi qua retenta morâ.* Sulmon. de Liuia Auguſta.

*Pag. 30. Luctu poſt hac.)*

*Non iuuat in toto corpus iactare cubili:*
*Seruatur pars illa tori.* Lucan. lib. 5. de Cornelia.

Sic Irmegardis ferè, occiſo in pugna viro Conrado à Smalneck, ſub Imp. Friderico II. Vide Dodec. 3. lib. 1. cap. 15. de Poundenſi Cœnobio.

*In manus Dei.)*

Ἔδω θεῷ τὸ πνεῦμα, τῷ δεδωκότι. Nazianz. in vita ſua.

*Reiectis ſuperſtitionibus.)*

Quoniam in igne tentationum & mortis non conſiſtunt, ſed euaneſcunt.

*Extincta eſt.)*

*Corpus inane animæ, frigus lethale ſecutum eſt.* Metamorph. 2. Mors.

*Heu, Heu.)*

*Heu dolor, heu lacrymæ, nec poſt tot ſecula ſeræ.* Sil. Ital. 5.

Etiam in lamentando eſt quædam ἡδονή. Triſtitia enim exiſtit ἐν τῷ μὴ ὑπάρχειν. Ergo voluptas, ἐν τῷ μεμνῆσθαι, καὶ ὁρᾶν πως. Ariſtot. 1. Rhet. ad Theodect. 11.

*Abortione.)*

Sic ille μιαιφόνος, in vno corpore plures necauit. Cicer. pro Cluent. de Oppianico: qui mulierem grauidam, ne partu eius ab hæreditate fraterna excluderetur, veneno interfecerit: vt & poſtea, ipſum fratrem.

*Eſt humata.)*

Abbatiam Lorchenſem tunc gerente, vt puto, Henrico quodam: quem 1171. & 1194. in literis reperi: ac poſtea 1234. & ampliùs, Fridericum.

*Tabellam altè tenentes.)*

Videbamus hæc Lorchæ, 29. Maij 1588. ducente nos M. Abelo Vinario, Reuer. Abbatis ibi Abeli optimo filio: qui poſtea 1596. Septemb. 6. (Parochus vici Rumelshauſæ) anno XXXIII. ætatis obijt. Abel Vinarius. Inueſtigabamus περὶ κυρίας εἰρήνης, καὶ σουηβῶν ἐπιφανῶν, plurima: ſed non reperiebamus, quibus mihi ſatisfieret. Combuſſerant enim Monaſterium 1525. April.

 26. Ru-

Ruſtici ſeditioſi: & vetera Scripta, ac monumenta, perdiderant. Itaq; ne diem quidem, quo Domina Irena obierit, inueni: nec vllo quoq; ex loco, quocunq; poſtea literas dedi, comperire potui. Vtinam in flumen potiùs Remſam incidiſſent homines illi maleferiati. ἀλλὰ κακοὶ κακῶς (φεῦ) μετ᾽ ὀ πολὺ ἀπώλοντο, ἐπίσπασον ὄλεθρον ὀλόμενοι.

*Pag. 31. μνήμην σοὶ μόνιμον.)*

Apud Statium lib. 5. Syl. 1. Statuas & imagines Abſcantius vxori Priſcillæ mortuæ ponere ſtudet.

Mortuorum memoria.

*Sic auferre rogis vmbram conatur: & ingens*
*Certamen cum morte gerit: curasq; fatigat artificum, &c.*

Sed Poëta cenſet, illam carmine magis fore immortalem. Sic noſtra de te, ὦ κλεινοτάτη, Oratio,

*Viuet: & à nullo tenebris damnabitur æuo:*
*Vt Lucani verſu 989. ex libro 9. vtar.*

Καί συ μνήσεσθ᾽ αἰὲν ὀΐομαι ἔν περ ὀνείρῳ. *21. Odyſſ. 79.*

*Quantum ſatis eſt.)*

Κόρον γὰρ καὶ μέλι ἔχει: *vt Pindarus νεμ. ζ´. ait.*

*Alceſtis.)*

*De qua 2. Iliad. 715.*

Alceſtis.

Ἄλκηστις πελίαο θυγατρῶν εἶδος ἀρίστη.

Φίλανδρος ἦν αὐτη: καὶ θανάτῳ παρέβαλεν ἑαυτὴν ἀντὶ τοῦ ἀνδρὸς Ἀδμήτου: εἴ πως εἰς φῶς ἐκεῖνος παλινδρομήσειεν. *Euſt. ibi 326. pag.*

Res ita ſe habet. Acaſtus, Peliæ Theſſaliæ R. filius, bello ceperat Theſſal. R. Admetum, & mortem ei minabatur: quòd ſibi Alceſtin ſororem non redderet. Nam Medea Peliam interfecerat, per imprudentiam filiarum eius. Ergo Alceſtis, ſe Acaſto tradens, Admetum liberauit: ſed Acaſto debellato, Alceſtin Admeto reddidit Hercules. Hinc, fabula de Alceſtide, pro viro ſuo mortua, in Tragœdia Eurip. elegantiſsima.

*Laodameia.)*

Laodameia.

Λαοδάμεια, ἡ Ἀκάστου, οὕτω φίλανδρος: ὥστε μὴ ἀνασχέσθαι ζῆν μετὰ τὸν τοῦ ἀνδρὸς θάνατον. Vide eundem Euſtat. 2. Iliad. pag. 325. Proteſilai, ab Hectore interfecti, ſaltem vmbram videre optauit. Qua viſa, in eius amplexu expirauit.

*Poſtremò morte etiam.)*

*Meta-*

*Metamorph. 4.*

*Ibo comes tibi nunc: quiq; à me morte reuelli,*
*Heu, ſola poteras, poteris nec morte reuelli.*

*Proſcriptum fuit.)*

In comitijs, quæ ad diem S. Martini 1208. ab Imp. Othone acta ſunt. Tunc eò venit hæc quoq; Beatrix. Ergo Irena videtur iam mortua fuiſſe. Huius Beatricis, nondum ſponſæ, miſerabili coram Cæſare & Principibus queſtu & lamentatione, facta eſt VVittelspachiorum proſcriptio: ſicut olim Gallæ rogatu, maximum Tyrannum Theodoſius Magnus, poſt 385. annum Domini vltus eſt. **Beatrix, Irenæ F.**

*Et Imperio expulſum.)*

*Metamorph. 3.*

*Exilium dira pœnam pro cæde ferebat.*

*Lege Annal. Dodec. 2. lib. 12. cap. 17.*

*Confoſſus eſt.)*

*Hic ſolet euentus facta nefanda ſequi.*

*Ouid. Heroid. Epiſt. 14.*

Dixerat Calatinus ille Henricus: ſe non quieturum ſub tecto, vbi hirundines ſederent: priusquam interfectorem Domini ſui vltus eſſet. Quam ſententiam à ſe in Hiſpanico Chronico lectam, generoſus Dominus, Dominus Conradus, S. Imperij hæreditarius Mareſcalcus, Dominus in Bappenhaim, Stulingæ Landgrauius, & in Heben Dominus, mihi 15. Sept. 1595. dicebat, his verbis: Jch will nicht vnder das Dach / darunder ſich der Schwalm ſetzt / bis ich meinen Herrn gerochen. Qui Dominus 97. Chriſti, iam ſextũ annum apud nos Tybingæ commoratur: cum generoſa Domina, Domina Catharina, Lambergenſi Baroniſſa. Cum quibus iam diu etiam ſunt generoſi ipſorum liberi: D. Maximilianus, D. Eliſabeta, & D. Catharina: quarum ſoror natu minima, D. Polyxena, apud Patruum ſuum D. Philippum (Rotenſtaini, inter Memmingam & Campidonum) hoc tempore viuit. Quorum Bappenhaimiorum honorificam mentionem ideo feci: quòd genus ipſorum, ex genere antiquiſsimæ nobilitatis Calatinorũ eſt. Quorum vnus, præſens Henricus, Imp. Philippi, & Auguſtæ Irenæ, indigniſſimas **Calatini, & Bappenhaimij.**

ſimas ærumnas fideliſsimo zelo vindicauit. Conſulito ſuprà citatum 17. caput lib. 12. Dodec. 2.

# *ALIQVANTVLA LORCHÆ, MONASTERII ET PAGI, deſcriptio.*

Situs Cœnobij. SITVS Monaſterij eſt in edito monte, tribus partibus libero: ad Auſtrum, Septentrionem, & Occaſum. Ortum verſus (qua parte Imperialis ciuitas Gamundia eſt) continuantur montes vallis Remſanæ. Vnde proſpectus Monaſteri multò iucundiſsimus patet, per benè magnam partẽ dictæ modò vallis.

Quanquam autem in monte ſitum eſt: tamen habet tantam aquæ copiam: vt non modò præaltus ibi puteus ſit: qui profunditate ſua alueum Remſæ credatur æquare: verumetiam ibidem aliquot alij diſtincti fontes, pluribus fiſtulis aquam copiosè fundant. Radices montis ad meridiem (Adelbergam Remſa fl. & Stauffam) verſus, abluit amnis Remſa: ac ſubiectum pagum Lorcham præterfluit: non ille quidem magnus, ſed fœcundus atq; nobilis piſcibus. Hinc nomẽ valli eſt, Ramsthal, vini copiâ & bonitate celebri. Quod nomen ad nomen Rameſes alludit: quo nomine appellatus olim fuit optimus terræ Ægypti locus, Gen. 47. vbi Patriarcha Iacobus, & filij eius, habitarunt.

Pagus Lorcha. In ſubiecto monti pago Larcha, Eccleſia mater eſt, multarum filiarum. Vnde præter Abbatem Monaſterij, Paſtor quoq; & Diaconus eius curam gerunt. Quorum duo poſteriores, tum matri, tum filiabus, alternis vicibus operam, in paſcendis læto Euangelij pabulo ouibus, fideliter præſtant.

Ad Occidentem verſus, Schorndorffium & VVaiblinga, necnon Imperialis vrbs Eſſelinga, ſita ſunt: ad Septentionem autem, Eberſperga & Murrhartum.

Vallis Remſæ. Vallis Rempſana, vtrinq; pratis amœniſsimis atque fertiliſsimis ornata eſt: nec minus hortis fructuoſis, & perpulchris, maximè Orientem verſus.

Quod ad agriculturam attinet: exigua quidem arua vallis ha-

lis habet: ſed valde magna ſeſe offerunt, quando ad iuga montium Septentrionalium venitur.

Habet etiam pagus Lorcha, præter fluuium Remſam, plurimos puteos: præterea, viuas ac ſalientes ex fiſtulis aquas. Fontes & aquæ.

Accedunt aliæ aquæ, ad valetudinem ſalubres, tum indigenis, tum interdum exteris, quotannis, ſicut thermæ, aut acidulæ: Das Zolchenbad / in viciniſsimis pago pratis.

Scaturiunt prope Monaſterium pagumq́;, plures alij ſaluberrimi fontes: quos inter præcipui ſunt, Thannbronn / Hollenbronn / Stainbronn. Quorum primus tantæ præſtantiæ eſt: vt, neglectis omnibus Monaſterij aquis, ille rure afferri ſoleat.

Sunt inſuper aliquot molendina: die Schweinzermül / die Seemül / die Kloſtermül / die Gegenmül / die Walckersmül. Molendinæ.

Iufluunt præterea circa Lorcham aliquot riui in Remſam: vt, Beutenbach / Mülbach / Eimersbach / Walckersbach. Riui in Remſam.

Sunt item ſtagna quædam, vel piſcinæ, circa idem Cœnobium.

Aëris autem natura, ibi ſaluberrima eſt: ita, vt poſt hominum memoriam, peſtilenti infectione contriſtatum fuiſſe haud ſciatur. Cœli clementia.

Videtur deniq; Lorcha, quæ Latinè Laureacum dicta eſt, à lauro nomen habere. Nam lauro arbore quondam conſita fuiſſe putatur. Quod ſi cui minus verum videtur: attamen ad Duces Sueuiæ, Imperatoria olim lauru decoratos (Fridericos, Henricos, & alios) pertinuit. Sed legantur de Lorcha in Annalibus Sueuicis plura. Lorchæ nomen.

Riuis & lauris hodie πνευματικοῖς læta & clara eſt Lorcha: Abbate ibi Abelo Vinario, Tybingæ verò Doctore Matthia Hafenreffero, Eccleſiæ Scholæque luminibus præclaris: quos quàm diutiſsimè valentes, & ſalutaria munia obeuntes, Δάφναι πνευματικαί.

Opt. Max. Chriſtus conſeruet.

Amen.

## IMAGINES LORCHÆ PICTÆ,

Auguſtæ Irenes. Imp. Philippi.




*Inſignia Lorchæ, S. Maria cum puero Ieſu, in Sole.*

APPEN-

# APENDICVLA.

Irena Sebaſtocratoriſſa.

VIXIT *Conſtantinopoli veterior quædam* IRENA, *circa annum Chriſti 1140. quæ nupta fuerat Andronico Comneno, fratri Manuelu, qui ab anno 1142. vſque ad 1180. imperauit. Dicta fuit* σεβαςοκρατόρισσα, *Auguſta Domina, quæ erat illuſtris dignitas. Mortuus autem erat vir eius Andronicus, antequam Imperium capeſſeret Manuel: qui poſtea Alemannam vxorem habuit, Comitis Sultzbachij (in ſuperiore Palatinatu Berengarij F. cui Berchtæ nomen erat: ſed poſtea ipſa quoque (Manueli nupta) Irene appellata fuit. Ad Sebaſtocratoriſſam autem, Conſtantinus Manaſſes (primò Philoſophus, poſtea Metropolita Naupacti, di Lepanto) Chronicon pulcherrimum (verſibus politicis, ſiue vulgaribus) ſcripſit: credo tùm, cùm iam eſſet vidua. Semper ea ſtudijs & lectioni dedita erat: vt in Procemio ſcribit Manaſſes.*

Irena Alemanna.

Conſtantinus Manaſſes.

Studioſa Domina.

Σὺ δὲ ψυχῇ βασίλισσα, καὶ φιλολογωτάτη:
Α᾿εὶ διψῶσα γνώσεως, καὶ λόγου, καὶ σοφίας:
Βίβλοις ἀεὶ προσλέτηκας: ἐπεντρυφᾷς τοῖς λόγοις:
Καὶ γίνεταί σοι τῆς ζωῆς, ἅπας ὁ χρόνος λόγος.

*Tu Regio animo, & doctrinæ ſtudioſiſſimo, prædita: ſemper cognitionem eruditionis & ſapientiæ ſitiens, in libros incumbendo tabeſcis, delicias que ex Scriptis affectas. Ita omne tempus vitæ, tibi in ſtudijs exigitur.*

*Quapropter illius celſitati Chronica ſua (de Regibus & Impp.) iam inde ab initio Mundi, ad illa ferè vſque tempora, perducta, dedicat.*

*Liberalitatem deniq; ipſius, pro tantis laboribus declaratam, his verbis prædicat.*

Pro laborib doctorum, remuneratio.

Παραμυθοῦνται γὰρ ἡμῶν, τοὺς ἐν τοῖς λόγοις μόχθους, αἱ μεγαλοδωρίαι σου, καὶ τὸ φιλότιμόν σου: καὶ τὸν τοῦ κόπου καύσωνα, καὶ τῆς ταλαιπωρίας, αἱ δωρεαὶ δροσίζουσι, κενούμεναι συχνάκις. *Noſtros in commentatione rerum, labores, magnorum tuorum munerum liberalitas recreat: & ſæpe effuſa in nos dona tua, æſtum defatigationis & ærumnarum noſtrarum, velut quadam roris aſperſione refrigerant, &c. Hæc tu, reuerende vir. Vtinam verò etiam Cruſij labores (maximi, atq; continui: Dei honorem, & iuuentutis vtilitatem, quærentes) tam liberalem Irenam, aut Irenæum, haberent.*

## *GENEALOGIA BREVIS.*

| | | |
|---|---|---|
| Alexis Comnenus Imp. 1090.<br>\|<br>Irena. | Calo Ioannes Imp. 1118. Cuius ſoror erat Anna, quæ Alexiadem hiſtoriam ſcripſit. | Manuel Imp. 1142. Sueui Cõradi III. Imp. affinis.<br>Andronicus Sebaſtocrator: cuius vxor fuit hæc munifica Irena. |

El. R. p. 1[illegible]

## EIVSDEM M. CRVS EPITAPHIA.

### IN IMP. PHILIPPVM.

Ὧδε τέθαφθ' υἱὸς φρεδερίχου πυρσογενείου,
ῥωμαίων βασιλεὺς, πρῦχων ἀρετῆσι, φίλιππος.
Οὗ, παλάμαις ἐν παμπέργῃ κλανθέντος ἀλιτραῖς,
Σῶμα πόλις Σπείρα κεύθει: νοῦς δ' ἄστρα κατίσχει.
*Inclytus hîc primi Friderici natus humatur,*
*Illuſtri Rex Romanus virtute Philippus.*
*Cuius Bamberga ſcelerata cæde perempti,*
*Corpus Spira tegit: mens, aurea poſſidet aſtra.*

### IN AVGVSTAM IRENEN.

Ενθάδε κυδαλίμης Εἰρήνης ὀστέα κεῖται
(Τῆς Γραικῆς Μαρίας) ἀλόχου Βασιλῆϊ φιλίππῳ:
ἣν ἑλλὰς μὲν ἔδω, Σουηβὶς ἔθαψε δὲ Λόρχη:
ἀνέρος ὡς οἰκτρὸς θάνατος περιώδυνον ἔκτα.
*Hîc Mariæ Græcæ (claræ Irenæ) oſſa quieſcunt:*
*Romani Regis quæ, chara marita Philippi:*
*Stirps quam Græca dedit, ſed humauit Sueuica Lorcha:*
*Coniugis extinctam lugendo funus acerbum.*

EADEM

# *EADEM EPITAPHIA,*

*MODIS MVSICIS* ΕΙ'Σ ΣΥΜΠΑ'ΘΕΙΑΝ ΓΛΥΚΕΩΣ COMPOSITA: *ET STATIM POST ORA-tionis recitationem, à Muſicæ Profeſſore M. Samuele Ma-gero, ſtipendijq́ue illuſtris adoleſcentibus, benè ibidem cantata.*

# I. EPITAPHIVM

## IMP. PHILIPPI, SEX VOCIBVS,

VVOLF. RAVHI, MVSICI APVD IL-luſtriſſimum Principem VVirtemberg. D. LV-DOVICVM, 26. Aug. 1589.

## *II. EPITAPHIVM AVGVSTAE IRE-NÆ: HOHENSTAVFFÆ 1208. POST XIII. KL.*

Sept. (*20. Aug.*) *ætatis circiter 36. anno defunctæ. Quinq; vocibus* VVOLF. RAVHI, *7. Iul. 1589.*

OBIIT HIC PIVS ET DOCTVS SENEX D. Rauhus, exeunte menſe Febr. 1595. Stutgardiæ, Mart. 1. humatus.

Vide Orat. funebr. Crusii in M. Leonh. Engelhar. Pædag. Stutgard. pag. 27. & Annal. Suev. 2, 563.

):(

## CANTVS I.




## CANTVS II.




## CONTRATENOR.



## TENOR.




## VAGANS.




## BASSVS.



# CANTVS I.




# CANTVS II,




# CONTRATENOR.



## TENOR.




## VAGANS.




## BASSVS.



# CANTVS I.




# CANTVS II,




# CONTRATENOR.



## TENOR.




## VAGANS.




## BASSVS.



# CANTVS I.



:|: poſsidet a- ſtra, a- ſtra.

# CANTVS II.



a- ſtra poſsidet a- ſtra,



a- ſtra.

# CONTRATENOR.



aſtra.

# TENOR.




# VAGANS.




# BASSUS.



## CANTVS.




## ALTVS.




## TENOR I.



# TENOR II.




# BASSUS.



# CANTVS.




# ALTVS.




# TENOR I.



# TENOR II.




# BASSUS.



# CANTVS.



*humauit, Sueuica Lorcha, :|: Sueuica Lorcha: Coniu-*



*gis extinctam lugendo, lugendo, funus acerbum, :|:*

# ALTVS.



*humauit, ſed humauit, Sueuica Lorcha: :|: Coniugis extinctam,*



*Coniugis extinctam, lugendo, lugendo, funus acerbum, :|:*

# TENOR I.



*humauit, ſed humauit, Sueuica Lorcha: :|:*



*Coniugis extinctam :|: lugendo, funus*

# TENOR II.



*humauit :/: Sueuica Lorcha: :/: :/: Coniu-*



*gis extinctam :/: lugendo funus acerbum, funus acerbum,*

# BASSVS.



*ſed humauit, Sueuica Lorcha, Sueuica Lorcha: Coniu-*



*gis extinctam lugendo, funus acerbum, funus acerbum, :/:*

# CANTVS.



:/: :/: *funus acer- bum.* :/:

# ALTVS.



*funus acerbum.* :/: :/:

# TENOR I.



*acerbum.*

# TENOR II.



:/: *funus acerbum.* :/:

# BASSVS.



*fu- nus acerbum.* :/: :/:

# LAVDES MVLIE-BRIS SEXVS.

## D. BASIL. HEXAM. X.

KAὶ ἡ γυνὴ ἔχει, τὸ κατ᾽ εἰκόνα θεοῦ γεγενῆσθαι, ὡς καὶ ὁ ἀνήρ. Ὁμοίως ὁμότιμοι, αἱ φύσεις ἴσαι, αἱ ἀρεταί: ἡ καταδίκη, ὁμοία. Μὴ λεγέτω, ἀσθενής εἰμι. Ἡ ἀσθένεια σαρκὸς, ἐν ψυχῇ τὸ δυνατόν ἐστι. *Mulier non minùs ſecundùm imaginem Dei facta eſt, quàm vir. Idem eſt vtriuſq; ſexus honor: æquales, virtutes: condemnatio, ſimilis. Ne dicat ipſa, ſe infirmam (ad virtutis actionem) eſſe. Imbecillitas carnis, vi animæ compenſatur.*

## IOHANNES ZONAR. TOMO 3.

*Imp. Theophilus (qui 830. Chriſti vixit) contemplans incomparabilem formam Nicaſiæ virginis, inquit:* Ἐκ γυναικὸς ἐῤῥύη τὰ φαῦλα: *à muliere malum profluxit. Reſpondit illa placidè, modeſto cum rubore:* Ἀλλὰ καὶ διὰ γυναικὸς πηγάζει τὰ κρείττω: *at per mulierem etiam ſcaturiunt meliora. Interitus, per tranſgreſſionem Euæ: ſalus, per Filium Mariæ.*

):( ):( ):(

## MVSICA, LVCTVI QVO-QVE INSERVIENS.

*Infuneribus adhibebantur* αὐληταὶ, *tibicines: flebilibus modis commiſerationem auditorum excitantes, Matth. 9.*

*Hieroſolymitani conducebant plurimos tibicines, luctus incentores:* οἱ θρήνων ἐξῆρχον αὐτοῖς. *Ioſeph. 3.* Ἁλώς. 30.

*Hectoris ad corpus ſtatuerunt* πρῶες ἀοιδοὺς,
Θρήνων ἐξάρχους, θρηνεῖν στονόεσσαν ἀοιδήν. *Iliad. 24.*

## FORTVNA HVIVS ORATIONIS.

I. *Phorcenſis Scholæ Rector, vir doctiſsimus, elegans Poëta,* CAROLVS CHRISTOPHORVS BEIERVS: *Kal. April. 1593.* IRENÆ *lectione, inquit, tanta ſum delectatione perfuſus, propter rerum copiam, & verborum elegantiam* (ἔστι γὰρ ὁ λόγος, χάριτες ἀττικῆς μεστός) *vt facilè perſpiciatur, quid de tuo Sueuico opere nobis polliceri debeamus. Cantionem verò à VVolfg. Rhau adiectam, cum diſcipulis cecini: qua harmonia mellitam dulcedinem ſenſi: id eſt,* ἐν τῷ μέλει, μέλι. *Obijt ſenex 96. Iun. 11.* λοιμῷ, ὁ εὐσεβής.

II. *Durlaci Med.* D. PHILIPPVS SCHOPFIVS, *12. Iun. 93. ſcribens: Orationem tuam, inquit, de Irena Panegyricam, aliquot viris literatis, illuſtriſsimi Principis Conſiliarijs, & Theologis, oſtendi: quibus ſupra modum placet. Nam & pigmentis Oratorijs ornata eſt: & ſententijs grauiſsimis referta: planeq; Cleanthis olêre lucernam mihi videtur.*

III. *CL. vir, V. I. D.* NICOLAVS VARENBYLERVS *P. Illuſtriſsimi Principis, & Tubing. Acad. Conſiliarius (qui hoc 97. anno, ætatis* LXXVIII. *annum agit) dicebat 25. Ian. 93. hilari fronte, ſe ſtatim Irenam perlegiſſe. Eſſe pulcherrimam Orationem. Laudabat inprimis Dictum Dociani (ſup. pag. 11.) dicentis, etiam Regijs perſonis conuenire eruditionem.*

IIII. *Ornauit deniq; Domina* IRENA, *per illos, quibus dedicata fuit, generoſos & nobiliſsimos adoleſcentes, Auctorem inſigni poculo argenteo, operculato, & ſuis locis inaurato.*

ΤΩ͂ ΘΕΩ͂ ΔΟ΄ΞΑ.